







COMMENTARIVS
IN EPISTOLAM PAVLI AD PHILIPPENSES,
SCRIPTVS

A

NICOLAO HEMMINGIO.



Rom: 5.
Patientia probationem operatur.

VITEBERGÆ

ANNO M. D. LXIIII.

ORNATISSIMO VIRO EXIMIA DOCTRINA, MAGNA PIETATE ET ſumma uirtute præſtanti, M: Paulo Nouiomago, olim concionatori illuſtriſsimi Regis Daniæ &c. Chriſtierni Tertij, grauiſsimo & conſtantiſsimo ſuo ueteri amico ac fratri in Chriſto dilecto, ſalutem precatur

NICOLAVS HEMMINGIVS.

V*ETERES VICIS*ſitudinem rerum humanarum aptiſsimē circuli uolubilitati compararunt. Nihil enim in rerum natura mutabilitati præcipiti & uſitatiſsimæ rerum uiciſsitudini magis ſimile reperitur, quam circuli rotæue motus. Siquidem ut circulus una eademq́ linea circumagitur, hoc eſt, abit & redit, aſcendit atq́

 deſcen=

descendit, eodemq; motus impetu, quod primum erat, ultimum efficitur & quod ultimum, primum euadit: Ita in rebus humanis summa imis, & ima summis, tristia lætis & lætis tristia sibi inuicem succedunt, & ueluti commiscentur. Id quod omnium hominum certissima experientia luculentissime testatur. Quis enim, obsecro, hominum unquam fuit qui semper in eodem statu permansit? Cuius ualetudo unquam morbis non est interturbata? Cuius gloria non aliquando aliqua nubecula obscurata est? tempore pacis quam non uicissitudinem rerum patresfamilias & gubernatores rerumpublicarum experirentur? Cum sæuus Mars regnat quę est fortunæ constantia? An non uerissimum est illud Homericum ξυνὸς ἐνυάλιος καὶ τὸν κτανέοντα κατέκτα? usq; adeo uerum est quod dicit Nazianzenus Sophronio scribens ὥς ἄυραις μᾶλλον πιςεύειν, καὶ γράμμασι τοῖς καθ' ὕδατος, ἢ ἀνθρώπων εὐημερίᾳ. Ob hanc

uolu-

uolubilitatem non immerito τύχη φερέπολος à Pindaro nuncupatur, & ὁ βίος τροχὸς à Phocylide dicitur.

Hanc inconstantiam rerum humanarum cum uiderent Pompeius, & Dauid non eodem modo uterque affectus est. Pompeius hanc uicissitudinē cogitans, disputat an sit prouidentia, an Deus curam rerum humanarum habeat. Cum enim dissipato exercitu Mityline diuertisset in hortum Cratippi Philosophi, magna contentione concludit nullam prouidentiam esse, cum ipse olim in deteriori causa fœlix fuerit, & nunc in causa meliori uictus sit. Dauid autem exutus regno, persequente se filio Absolone, non disputat an sit prouidentia, sed confirmatur magis de prouidentia. Nam non solum iustum Dei prouidentis iudicium agnoscit, & se dignas pœnas luere fatetur, uerumetiam euentum non fortunæ, sed Deo constantissimè tribuit. Vt ex his uer=

bis ad Zadoch Sacerdotem apparet, reporta (inquit) arcam Dei in urbem: Si inuenero gratiam in oculis Domini reducet me, & ostendet mihi eam & tabernaculum suum: Si autem dixerit mihi non places, præsto sum, faciat quod bonum est in oculis suis. Hæc oratio non est disputantis an sit prouidentia, Sed est anhelantis ad misericordiam Dei, qui, ut punit peccatores, ita in gratiam recipit confugientes ad misericordiam. Cato cum ob bonam causam pateretur exilium turbata mente, de prouidentia Dei dubitat, ac tandem sibi ipse manus cruentas adfert. Contra uerò Ioseph iniustißimè à fratribus uenditus in exilio conscientia recti se sustentat, non fremit aduersus Deum, Sed potius acquiescit in Deo, intuetur Dei promißiones, nec dubitat de prouidentia Dei, Sed certo statuit Deum sibi adesse, & aliquando liberaturum se à tristißima seruitute in qua fuit. Breuiter ut omnes

ignari Dei uicissitudinis, rerum cogitatione decepti, perturbantur, & de prouidentia dubitant idque potissimum cum aliqua subita calamitate inuoluuntur: Ita Theodidacti ac pij cum uident tantam rerum uicissitudinem, Dei consilium adorant, & ipsi pressi cruce ad tutissimum asylum nomen Domini confugiunt, & ex euentu quem expectant lætissimum mitigationem doloris petunt. Ignaris Dei adiungo securos qui cum uerbis se sanctos & fideles ostentant, & gloriantur de Euangelio, factis se Nerones & Heliogabalos exhibent. Quantum autem hic uacillant, sæpe uoce ostendunt. Nam cum uident euentus suis Sapientibus consilijs minime respondere, aut Deum tacitè accusant, aut casu ferri omnia apud se cogitant, etsi lingua aliud loquantur.

Sed quæ huius rei causa est? Ieremias eam clarissime assignat cum ait. Confusi sunt sapientes, præteriti &

capti sunt. *Verbum enim Domini proiecerunt, & quid proderit eis sapientia?*

Sed qui fit quod Pompeius desperat in exilio suo, & Dauid inuicto animo persistit? Pompeius nec causam nec finem uicissitudinis rerum humanarum intelligit. Dauid autem & causam & finem recte æstimat. Sed quænam causa illa est? triplex est causa quare optimus pater noster cœlestis nunc nos exaltat, nunc humiliat, nunc morbis premit, nunc ualetudine bona erigit, uidelicet, Iudicium iustum, misericordia gratuita, & δοκιμασία necessaria. Iusto iudicio suo Dauidem exilio punit: Gratuita misericordia eundem ad regni fastigium euehit. Exploratione necessaria eundem nunc lætis, nunc tristibus tentat, an se uere timeat, nec ne. Sic Abraham aliquando prospera, aliquando tristi fortuna usus est. In prospera misericordiam agnouit, in tristi iudicium

fassus est. In utraque constanter in Deo acquieuit. Quòd autem uocetur in peregrinam terram, quōd cum fame luctetur, quod periclitetur uxoris pudicitia, quōd iubeatur ipse mactare filium, quòd tandem charissima coniuge priuetur, explorationis argumenta fuerunt. Similia uidemus in multis alijs sanctis.

Quis finis est huius vicissitudinis & inconstantiæ rerum?

Duplex finis assignatur â Nazianzeno hisce uerbis: ἵνα τὸ ἐν τούτοις ἀστάτον καὶ ἀνώμαλον θεωροῦντες μαλλόν τι προσέρχωμεν τῷ θεῷ, καὶ τῷ μέλλοντι, hoc est, ut cum in hisce mundi rebus uideamus tantam inconstantiam & uarietatem, accuramus ad Deum ipsum, & anhelemus ad futuram uitam. Ad Deum quidem accurrimus non pedibus, Sed affectibus, uidelicet cum in aduersis ipsum ex fide inuocamus ardenter, cum ob benefacta ipsum ex

fide inuocamus ardenter, cum ob be-
nefacta ipſum uere prædicamus, cum
in tentationibus in eius uerbo acqui-
eſcimus conſtantes. Anhelamus uero
ad futuram uitam quando neglectis
omnibus commodis & incommodis
πολίτευμα noſtrum in cœlo eſſe sta-
tuimus, unde expectamus ſaluato-
rem Dominum noſtrum Ieſum Chri-
ſtum, qui noſtra humilia & abiecta
transfigurabit corpora, ut ſint con-
formia ſuo glorioſo corpori, idq; ea
potentia qua poteſt ſibi omnia ſubij-
cere. Quod ubi factum fuerit nulla
amplius pertimeſcenda eſt rerum ui-
ciſsitudo.

Sed cur, inquies, mihi hæc? quor-
ſum hæc tendunt? Superiori anno,
Clariſsime uir, unà fuimus, & mul-
tum congratulati ſumus nobis inui-
cem, quòd non ſolum in his regnis
tranquilla eſſent Eccleſiæ hoſpitia, &
ſumma eſſet in religione docentium
conſenſio: uerumetiam quod tran-
quilla & quieta eſſet reſpublica ſub

optimo

optimo & clementissimo Rege nostro D. Friderico Secundo. Deinde etiam non parum gaudij attulit utriqꝫ nostrum amicorum & necessariorum honesta consuetudo. Quid amplius quæso optare potuimus? Sed proh dolor, experimur rerum uicissitudinem permagnam.

Etsi autem religio, sit Deo gratia, salua est: Etsi eandem optimi regis clementiam experimur: tamen uidemus magnam uicissitudinem rerum, uidemus multas domos desertas quæ superiori anno habitabantur quiete. Non pauci hodie miserè mendicant panem, qui ante paucos dies abundabant omnibus necessarijs. Vsqꝫ adeo sæuo Martis imperio susqꝫ deqꝫ feruntur omnia, & ut taceam de alijs uterqꝫ nostrum non parum hoc anno uicissitudinem rerum experti sumus, qui, quos habuimus charissimos hoc anno amisimus. Vt enim ego matrem charissimam: Ita tu filiam dile-

ctiſsimam meſtus deſideras. Quid hic
nobis faciendum? intuentes publi-
cam calamitatem agnoſcamus iudici-
um Dei punientis multa occulta &
graſſantia peccata, & præſertim impu-
nitatem ſcelerum in hoc regno: tan-
gamur uero ſenſu doloris ob iniqui-
tatem noſtram, & confugiamus ad
eum qui diues eſt miſericordia, eumq;
precibus noſtris, ut benigne mitiget
pœnas quas iuſte meruimus, ſolicite-
mus. In neceſſariorum amiſsione, co-
gitemus conſilium Dei, cui iſto pacto
explorare fidem noſtram & pacien-
tiam placuit.

Sed dices forte grauius eſſe filiam
iuuenculam amittere, quam matrem
octogenariam. Etſi non magnopere
inficias eo, tamen negari non poteſt
quin matris obitus homini pio acer-
biſsimus ſit. Et tametſi fateor dolorē
meum ex eo non parum mitigari,
quod mater mea honeſtè multos an-
nos in coniugio uixerit, & deinde ui-
dua 28. annos caſtiſsimē uitam tranſ-
egerit,

egerit, & tandem ætate confecta, piè animam Deo commendauerit: tamen affirmo te non minorem consolationis materiam habere in morte filiæ, quam ego in obitu matris charissimæ. Nam quod imperitis hominibus summum dolorem adferre solet, hoc tibi uiro sapienti debere esse maximo solatio statuo.

Quid, inquies, hoc est? dicam. Piē & sanctē ab ineunte ætate fuit educata filia tua, artes honestas muliebri Sexui conuenientes perbellè nouit: Piē apud parentes uixit, iuste foris cum alijs conuersata est, nupta optimo & doctißimo uiro M. Paulo Ripensi Episcopo ueteri amico meo sanctißimè & honestißime uixit, ac tādem castißimum spiritum Deo qui ipsum dedit, in inuocatione nominis Dei tradidit. Quid ultra requiris? immatura morte occubuit. Quasi immatura esset censenda, quam Deus longiorem esse noluit, quasi breuis esset

eſſet uita, quæ pie & ſancte tranſacta eſt. Seneca grauiſsime ait: Sicut fabula, ſic & uita, non quàm diu, ſed quàm bene acta ſit refert. Age quæſo cur filiæ tuæ Dorotheæ nomen in baptiſmo tribuiſti? An non ideo quia eam agnouiſti δῶρον τοῦ θεοῦ eſſe, hinc enim eſt Dorotheę appellatio. Si donum Dei agnoſcis filiam, cur ægre fers quod Deus quod ſuum eſt repetit? Vt auertat ab ea pericula, quibus obnoxij ſumus nos qui ſuperſtites adhuc in hac lachrymarum ualle oberramus mille caſibus expoſiti.

Sed dices: non Stoicus ſum, non exui ſtorgam diuinitus hominibus impreſſam, Natura eſt dolor ob charorum amiſsionem: fateor id quidem, ſed ut natura eſt dolere amiſsione charorum: ita pietatis eſt ſe Deo ſubijcere, & ex uoluntate Dei & promiſsionibus diuinis conſolationem petere; mixtus ſit igitur tuus dolor conſolatione & obedientia erga

Deum. Hæc cogita Charissime frater, quoties memoria dilectissimæ filiæ tua paterna uiscera commouet. Cogitatione iudicij & misericordiæ Dei te sustenta, meditatione æternæ consuetudinis cum filia & omnibus sanctis in æterna uita te solare, uicissitudinem lætitiæ & doloris in hac uita recole, cogita læticiam & dolorem in hoc mundo sibi inuicem ita cedere, ut maior sit dolor & sæpius recurrat.

Vt autem & ego inter alios tuos amicos quos summa doctrina, magna pietate & singulari uirtute tibi comparasti, nonnihil adferam ad mitigandum tuum istum dolorem ob amissam filiam, mitto tibi annotationes meas in Epistolam Pauli ad Philippēses, quas sub tuo nomine in lucē prodire uolui, ut testarer de nostra inter nos amicitia, cuius testimonium uolo hasce annotatiunculas esse, & rogo ut quoties has annotationes uideris, reuoces in mentem uerba Pauli quæ

sunt

ſunt in huius Epiſtolæ tertio capite. πολίτευμα noſtrum eſt in cœlo, unde expectamus ſaluatorem & reparatorem noſtrorum corporum, ut fiant σύμμορφα glorioſo corpori ipſius. Crede mihi quod nullum ſit præſentis doloris remedium, quàm fides horum uerborum & pia reſurrectionis meditatio. Vale cum uxore tua Anna caſtiſsima & liberis. Haffnia, Calendis Nouembribus, Anno Domini 1564.

ARGVMENTVM EPISTOLAE PAVLI AD PHILIPPENSES.

OCCASIO EPISTOLæ ad Philippenſes ſcriptæ, ut ex quarto capite apparet, hæc fuit: Miſerant Philippenſes Paulo, cum Romæ in carcere ageret, neceſſaria ad uitæ ſuſtentationem per ſuum, ut apparet, Parochum Epaphroditum: & paßim Pſeudoapoſtoli ſinceram Chriſti doctrinam corrumpere cœperant, idq; prætextu Legis & Circumciſionis: ſed Philippenſes nihilominus in doctrina Pauli perſtiterunt conſtantes: Quare Paulus, cum ut futuro periculo occurrat, tum ut ſuam erga Philippenſes animi gratitudinem declaret, hanc ſcribit Epiſtolam: quæ ſanè uaria & multiplex eſt, ut non poßit ad unum certum cauſæ genus referri, ut pleræq; aliæ.

Vt autem eò clarius & diſtinctius tractatio ipſa intelligatur, & orationis methodus cognoſcatur, diuidam hanc Epiſtolam in ſeptem partes, ſed excluſis epigrapha & ualedictionis clauſula.

PRIMA itaq; PARS est exordium ipsum, in quo gratias agit Apostolus Deo pro Philippensium constantia, uidelicet quòd perstiterint in sana doctrina, cum multi alij hæreticorum erroribus fuerint implicati.

SECVNDA PARS expositio seu narratio est: in qua quid secum actum sit Romæ, exponit: uidelicet quòd in carcerem sit coniectus, propter defensionem Euangelij: quæ res cessit in magnum Euangelij profectum, idq; contra expectationem aduersariorum.

TERTIA PARS continet parænefes προτρεπτικὰς ad uitæ morumque integritatem & constantiam facientes.

QVARTA PARS demonstratiua est. Continet enim laudes & commendationes Timothei & Epaphroditi, ut Philippenses sciant quanti facere debeant, non solum ipsos, uerumetiam omnes alios qui in promouenda Euangelij doctrina uersantur & occupantur.

QVINTA PARS parænefes ἀποτρεπτικὰς continet, uidelicet, ut Philippenses falsos doctores & doctrinæ coruptelas caueant, additis grauissimis rationibis, quibus Iudaicos errores de Circumcisione & Lege & Iusticia, qua coram Deo cosistimus, egregiè confutat & euertit.

SEXTA PARS, priuatas ad quosdam, & generales ad omnes exhortationes continet.

POSTREMA PARS habet approbationem beneuolentiæ Philippenſium & liberalitatis eorum erga ſe, uidelicet, quod ſui rationem habuerint, & per Epaphroditum parochum neceſſaria quædam ad uitæ ipſius ſuſtentationem miſerint.

Hiſce ſeptem partibus admiſcentur per occaſionem, ut fieri ſolet, doctrinæ uariæ & multiplices, quarum explicatio ſummę neceſſaria eſt, ut de duabus naturis in Chriſto, de humanitate Chriſti, de eiuſdem glorificatione, de uera iuſtificandi ratione. De glorioſa corporum noſtrorum conformatione ad ſimilitudinem corporis Chriſti, De abrogatione circumciſionis & legis Moſaicæ. Sed de his copioſius in enarratione.

SVMMA CAPITIS PRIMI.

GRatijs Deo actis ob conſtantiam Philippenſium in fide Euangelij, & indicato ſuo pro ipſorum ſalute ſtudio, exponit Apoſtolus quòd carcer ſuus Romæ ceſſerit in maiorem Euangelij profectum, ſpeque facta de ſuo ad ipſos reditu hortatur eos ad uitam Euangelij dignam.

ORDO ET PARTES PRIMI CAPITIS.

QVinq; sunt huius capitis membra, Epigrapha, Salutatio, Exordium gratulatorium ob profectum Philippensium in fide Euangelij, Narratio profectus Euangelij Romæ ex occasione sui carceris, & exhortatio ad uitam Euangelio dignam.

EXEGESIS PRIMI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

Paulus & Timotheus serui Iesu Christi.

COmmunem profeßionis titulum ponit sine mentione Apostolatus, idq; propterea quòd ijs scribat, qui de suo officio & uocatione dubitare non poterant. Quod autem Timotheum sibi adiungit, Christianæ humilitatis indicium est. Non contemnit Timotheum ut inferiorem donis & uocatione, sed eum sibi adiungit in Euangelio socium, ut suo exemplo ministros Euangelij humilitatem doceat. Hoc proinde exemplum ministris, uerbi adeoq; omnibus pijs sit norma ueræ humilitatis & coniunctionis mutuæ.

Omnibus sanctis in Christo Iesu qui sunt Philippis.

Id est,

Id est, fidelibus omnibus qui sunt in Christo, cuius sanctitatis, dum credunt, participes fiunt, & donati spiritu Christi, & regenerati per gratiam eiusdem spiritus piam & sanctam uitam meditantur, expectantes plenam & perfectam sanctificationem. Sancti sunt igitur fideles duplici modo, uidelicet imputatione & incoatione, nam qui credunt in Christum, ut iusticiæ Christi, ita et sanctitatis eius sunt participes, & quia spiritum Christi habent, sanctitati student, hoc est, se à prophanitate mũdi seiungunt, accommodant se Deo, cui se offerunt in hostiam placentem Deo per Iesum Christum. in æterna uita sancti erimus perfectione & gradibus. Philippenses, quibus scribit Apostolus, fuerunt populi Philipporum, quæ urbs est Macedoniæ apud Stridonem fluuium, in finibus Thraciæ, à conditore Philippo, Græciæ domitore patre Alexandri magni sic appellata.

In hac urbe Paulum fundasse Ecclesiam testantur Acta Apostolica cap.16, ubi & flagra & pœnas passus est propter pytonicum spiritum, quem de puella expulit: propter quam etiam causam Philippis discedere coactus est, ubi tamen iactum uerbi Dei semen indies magis magisque radices egit, adeò ut iam pluribus Episcopis & Diaconis indigeret Ecclesia : quæ indies in sincera Pauli doctrina, & uitæ innocentia cre-

uit, nullam pseudoapostulorum corruptelam admittens.

Cum Episcopis & Diaconis.

Episcopi nomen Atheniensibus in usu fuit; & significabat magistratum, qui mittebatur ad ius dicendum in ea oppida, quæ sub ditione & imperio erant Atheniensium. Horum munus erat, uidere quid in quaq; regione fieret, ut cognita ad reges referrent. Horum præfectura seu administratio ἐπισκοπὴ dicebatur. Homerus ultimo ἰλιάδ: Hectorem episcopum urbis Troiæ, hoc est, defensorem & præsidem nominat. Platoni Episcopus in genere significat inspectorem & curatorem rerum agendarum. Ex hac generali significatione translatum est nomen ab Apostolis ad certam speciem, ut Episcopus sit preco Euangelij, qui diligenti cura & sedulo studio in hoc totus incumbit, ut & ipse rectè doceat Euangelium sibi concreditum, & ut alij iuxta Euangelij uocem piè & honestè uiuant. Nam ἐπὶ in hac compositione sedulitatem quandam & intentionem actionis significat.

Proinde, Episcopi Paulo fuerunt, quos hodie parochos, & in genere ministros uerbi appellamus, id quod nō solum ex præsenti loco patet (plures enim

res. n. unius ciuitatis Philipporum Episcopos hic agnoscit Apostolus) uerumetiam ex 20. capite Actorum manifestum est, ubi Paulus ministros uerbi Ecclesiæ Ephesinæ, cùm Presbyteros tùm Episcopos uocat. Ad Timotheum quoq; & ad Titum Presbyter & Episcopus idem sunt. Verum quod nunc unus qui alijs ministris uerbi præficitur, ut eorum actiones inspiciat, Episcopus dicitur, id non scripturæ, sed hominum decreto factum est. Est fateor utilißimum ad conseruandam doctrinæ sinceritatem, & ad regendam disciplinam Ecclesiæ utile, unum aliquem in singulis diocæsibus siue prouincijs præficere, qui sit inspector rerum gerendarum in Ecclesia, curetq; ut omnia in Ecclesia, iuxta Pauli consilium, ordinatè & decenter fiant. Hunc siue Episcopum græca uoce, siue Inspectorem, siue Superattendentem uocaueris, proinde est.

Porrò Diaconi nomen bifariam in scripturis sumitur. Aliâs enim generaliter pro quouis ministro accipitur, qua ratione Magistratus ad Roman. 13. diaconus Dei dicitur. Et Paulus ipse se Euangelij Diaconum ad Ephes. 3. appellat, qui & Christum Dominum diaconum Circumcisionis ad Roman. 15. uocat. Hac igitur ratione Diaconus ab Episcopo, ut genus à specie differt. Aliâs specialiter accipitur Diaconus, pro administratore eleе-

re eleemosynarum Ecclesiæ, qui accipiendis & distribuendis eleemosynis præficitur. Tales illi septem fuerunt, de quibus in Actis Apostolicis capite 6. Hos quoq; morum censores in primitiua Ecclesia fuisse nonnulli existimant, quos Paulus etiam ad Timotheum Presbyteros uocat. Hinc διακονεῖν pro erogatione eleemosynarum ponitur, 2. Cor. 8. & 9. Et pro administratione ad Roman. 12. interdum etiam generaliter pro quouis ministerio ponitur. Verum Diaconatus, quem postea finxerunt Pontifices Romani, nullum habet ex uerbo Dei firmamentum.

Gratia uobis & Pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo.

Familiaris Paulo salutandi hic modus est, à proprio Euangelij fructu seu effectu desumtus. Gratiæ nomine fauor Dei gratuitus significatur, quemadmodum ex 1. capite ad Ephes: apparet. Pacis appellatione fructus seu effectus gratiæ notatur, & complectitur quicquid ex fauore Dei nobis donatur. ut reconciliatio nostri cum Deo, salus ipsa, adoq; omnia prospera & bona.

PRIMA PARS.

Gratias ago Deo meo in omni memoria uestri.

Ordi-

ORditur à gratiarum actione, quæ ſane non ſolū affectus Pauli ad Philippenſes ſignum euidens eſt, uerùm etiam ſtimulus quidam ad perſeuerantiam. uirtus enim laudata creſcit, hinc tria colligamus.

Primum, quòd exemplo Pauli oporteat pios Deo pro beneficijs & ſibi & alijs collatis gratias agere. Secundum, ut nactis beneficia Dei precemur incrementum. Tertium, ut cum Paulo Eccleſiæ totius, & non tantum præſentium membrorum ſummam curam habeamus. Deum ſuum uocat, ut oſtendat quod ſoli credentes de Deo uerè gloriari poßint. In omni memoria ueſtri, id eſt, cum ſumma memoria ueſtri. Eſt enim hebraiſmus ἐπὶ enim pro Beth, id eſt, cum, ponitur, & πάσῃ pro plena, ſeu perfecta ſeu ſumma. Significat ergo Apoſtolus ſe perpetuo memorem eſſe Philippenſium.

Huc lubet nonnulla adijcere de gratiarum actione, quæ Deo fit uerè & rectè.

Gratiarum actio quæ Deo fit ipſiq; placet, eſt agnitio & confeſſio beneficiorum acceptorum cum ſumma gratitudine mentis & prædicatione bonitatis Dei. Vt autem hæc gratiarum actio ſit perfecta, requiruntur duo: quorum unum eſt σιζυγία uirtutum, quæ neceſſariò adeſſe debent. Alterum legitimus modus

agendi gratias. σιζιγία uirtutum est ueritatis & iusticiæ copulatio, Veritas ut candidè et apertè agnoscit benefactorem Deum, Ita excludit hypocrisin & mendacium. Hypocrisin quidem, ut non uoce & uerbis tantũ, sed etiam ex animo sincero gratias agas: Mendacium uero, ut non Deo ascribas successum in rebus malis, ut si latro agat gratias pro opimo spolio, aut adulter pro exoptata uenere. Iusticia admonebit te gratitudinis, humilitatis, & inuocationis. Legitimus modus agendi gratias sæpè à Paulo indicatur quum ait, Gratias ago per Iesum Christum, Nam cum dicit, per Iesum Christum, modum exponit ueræ gratiarum actionis, in quo modo hæc ordine insunt. Primùm, fides in Christum, sine qua nulla potest fieri uera gratiarum actio, nihil enim placet sine fide. Deinde confeßio, qua confiteris te Christo Mediatore diuina percepisse beneficia. Tum fiducia, qua statuas tuam gratiarum actionem placere propter Christum. Postremò uotum, quo ad Dei gloriam profecturum exoptes quicquid acceperis.

(Semper in omni precatione mea pro omnibus uobis cum Gaudio precationem faciens.)

Hæc parenthesi claudantur. Pertinent autem hæc uerba eò, ut Philippenses summum Paulo pro

sua salute studium fuisse, intelligant: Referenda *sunt igitur ad locum beneuolentiæ.* Cùm autem *dicit,* cum gaudio precationem faciens, *respicit & ad præteritum tempus & ad futurum.* Nam cum dicit se gaudere, *intuetur faustum inceptum* Philippensium. *Cùm autem se precationem facere pro ipsis addit, monet ne ab exhibita gratia deficiant, sed potius unà precentur, ut indies magis abundent.* Vt ergo *ob exhibita bona pijs lætandum est,* Ita *pro futuris impetrãdis precandum.* Iam *si precandum est pro bonis impetrandis, sequitur, Stoicum delirium detestandum esse, quo statuitur quod omnia eueniant necessitate fatali, adeò, ut quicquid fiat, necessariò fiat, & ita tollatur contingentia.* Quòd *si uerum esset, frustraneæ essent omnes Sanctorum preces, quibus à* Deo *petunt salutaria, petunt regi consilia & actiones.*

Super communione uestri in Euangelio à primo die usque in hunc diem.

Ratio *propositionis à uocatione* Philippensium *ad gratiam* Euangelij, *& ab eorum in eadem gratia perseuerantia. Insignis locus, qui docet non fortuitò aut casu nunc huic nunc illi genti prædicari* Euangelium, *sed hoc fieri ex dispensatione*

tione diuina. Cum enim Paulus Deo gratias agit, quòd Philippenses facti sint participes Euangelij, & in eo perseuerent, ipsum Deum autorem cùm participationis istius, tùm perseuerantiæ agnoscit.

Hoc ipsum persuasus, quod qui incœpit in uobis opus bonum, perficiet usque in diem Iesu Christi.

Amplificat rationem à fiducia perseuerantiæ, quæ à constantia autoris Dei petitur. Is enim cum non temerario iudicio cœpit opus, certa fiducia est, ut idem quod ex gratia incœpit, per gratiam absoluat.

Obseruandus sanè locus hic est, quo conscientia piorum aduersus tentationem prædestinationis stoicæ de perseuerantia in bono confirmantur. Est enim Deus in suis operibus constans, nec deserit opus suum quod incoauit. Cùm ergo in Philippensibus incœpit opus bonum, scilicet prædicationem Euangelij, quo corda hominum formantur, flectuntur & diriguntur in iusticiam, perficiet scilicet ad perseuerationem eos confirmando, idq; usq; in diem Iesu Christi, hoc est, ad horam mortis cuiusq; credentium, seu, ut nonnulli interpretantur, usq; ad extremum diem, quando ueniet

do ueniet DOMINVS iudicandum uiuos & mortuos.

Sicuti iustum est mihi hoc ipsum sentire de uobis.

Ratio fiduciæ de perseuerantia Philippensium sumta ab honesto, piorum est enim semper de bene cœptis optimè sperare.

Propterea quod in corde teneam uos cum in uinculis meis, tum in defensione & confirmatione Euangelij, uos inquam omnes unà mecum fuisse gratiæ meæ participes.

Hæc sententia Synthesi turbata in hunc modum construenda est. Propterea quod habeam uos in corde (*id est, intimo cordis affectu uos reputem*) Esse consortes gratiæ meæ (*id est, crucis quæ mihi ex fauore Dei imposita est, ideoque eam inter gratias* Dei *numero. Est enim mihi inprimis honorifica*) cum in uinculis meis, tum in defensione & confirmatione Euangelij. *Interpretatio est & distributio Gratiæ. Nam ideo sibi crucem reputat honorificam, quia facit ad defensionem & confirmationem* Euangelij. *Hoc paradoxon obseruandum est contra opinio-*

opinionem hominum, qui crucem & carceres ad accusandum & damnandum Euangelium facere arbitrantur. Obseruetur itaq; imprimis hic locus de persecutione Ecclesiæ & piorum ministrorum, uidelicet quòd Spiritus sanctus eam inter gratias Dei numeret, tantum abest ut probrosa alicui uideatur. Huc facit illud Domini dictum: Beati estis cum maledixerint uobis, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersus uos mentientes, propter me.

Testis enim mihi Deus est, quàm propensè amem uos omnes in uisceribus Iesu Christi.

Iuramento confirmat se uero amore Philippenses cõplecti, idq; non affectu carnis, sed in uisceribus Iesu Christi, id est, pio affectu qui manat ex Christi miserentis gratia: Viscerum nomine intimus amor significatur, qualis tenerrimus ac ueluti maternus esse solet. Quod autem addit Iesu Christi, Discernit inter uiscera naturalia, & ea, quæ sunt à Christi gratia, quæ magis ardent amore, eoq; sinceriore. Obseruandus qualis affectus esse debeat piorum ministrorum erga suos auditores, unde proficiscatur, & quo tendat.

Et illud oro, ut caritas ueſtra adhuc magis & magis redundet in cognitione, & omni ſenſu.

Oſtendit Apoſtolus ſe de conſtantia Philippenſium gauiſum eſſe: nunc porrò orat pro perſeuerantia, & capita ſumma uitæ Chriſtianæ attingit: Finis enim precationis Pauli præcipua Chriſtianæ uitæ capita continet. Nam orat ut Philippenſes redundent, id eſt, magis magiſq; promoueant in cognitione & omni ſenſu, hoc eſt, ut indies proficiant cum in ſcientia ſalutis tum in ſenſu omni, *id eſt, experientia, qua uis doctrinæ plenè in corde ſentitur. Euangelium enim non tantùm requirit noticiam ſui, uerùm etiam ſenſum in corde, in affectibus, adeoque in omnibus uiribus interioribus & exterioribus. Vbi autem cognitioni Euangelij non reſpondet hic uiuus ſenſus, fruſtra gloriatur homo de fide Euangelij. Paulus ergo requirit cum incremento cognitionis omnem ſenſum, id eſt, pleniſsimum, quo cor pleniſsime afficiatur. Nam particula* omnis *non ſemper uniuerſitatem generis ſignificat, ſed interdum ex Hebræorum idiotiſmo rei cui adiungitur, perfectionem quandam, ut in illo: Si omnem fidem habeam, id eſt, conſumatiſsimam fidem ſcilicet edendi miracula. Sed de hac phraſi ſupra quædam diximus.*

Porrò non uidetur mihi inutile fore auditoribus, si quædam huc ascripsero de modo parandi γνῶσιν, hoc est, cognitionem rerum in scriptura. Nam nisi iustum modum sciuerit interpres, frustra sudat, & inutiliter aures discentium fatigat. Ad γνῶσιν igitur parandam post inuocationem Dei, tria requiruntur, linguarum & phraseon cognitio, theoria ac paradosis.

Sine linguarum & phraseon cognitione non discerni possunt locutiones figuratæ à proprijs, nec propriæ à figuratis, quare opus est diligenti consideratione, ne phraseon & linguarum inscitia impediat γνῶσιν. Proinde Grammatica diligenter discenda est ab ijs, qui feliciter interpretari scripturam uolunt.

Deinde theoria est necessaria, hac enim sententiæ similes & quæ uidentur contrariæ inter se conferuntur: hac coniunguntur latè in scripturis sparsa, ut unum ueluti Systema constituant: hac, capita rerum ordinantur: hac eruuntur definitiones, instituuntur diuisiones, conciliantur antilogiæ: hac conferuntur obscura clarioribus, typi antitypis: hac exempla regulis, & regulæ exemplis accõmodantur: hac particularia ad uniuersalia, & uniuersalia ad particularia reuocantur: Hac antecedentia, adiuncta, & consequentia perpen-

perpenduntur: hac consilium scriptorum, scopus, & peristases conferuntur. Breuiter, Theoria normam Dialecticam rebus sacris tractandis tanquam mensuram adhibet, singulariq; studio in hoc incumbit, ut interpretatio sit fidei analoga.

Paradosis, hoc est, traditio, tum demum locum habet, quando uel orationis genus ignoramus, uel theoria non possumus assequi dicti sententiam. tunc enim uox Ecclesiæ quærenda est, eaq; audienda, modò analoga fidei sit, & loco congruat. De hac re plura uolente Deo, in priore ad Timotheum dicemus.

Vt probetis quæ sint præstantiora.

Vsus seu finis cognitionis, uidelicet, ut Philippenses rectè iudicent, explorent & approbent ea quæ sunt præstantiora, atq; ita expetenda iudicio uerbi eligant, & contraria uitent. Hæc enim est uis uerbi δοκιμάζειν.

Vt sitis sinceri ac sine offensa in Diem Iesu Christi, pleni fructibus iusticiæ per Iesum Christum ad gloriam & laudem Dei.

Sensum quo Philippenses cupit abundare, ad

tria capita refert, nempe ad sinceritatem (quæ est bona conscientia coram Deo) Innocentiam uitæ, (uidelicet, ne simus ulli offendiculo.) Et plenitudinem fructuum iusticiæ, qui proficiscuntur ex gratia Iesu Christi, & tendunt in laudem & gloriam Dei. Atq; ita hoc loco uera uiuendi ratio Christianis præscribitur, & simul fons omnium bonorum operum ostenditur, nimirum quod ex gratia Christi & fide in ipsum promanent ad finem proprium, qui est laus & gloria Dei. Opera igitur quæ aliunde ueniunt, aut etiam aliorsum tendunt, nequaquam bona censenda sunt, qualiscunq; sit externa species. Deinde & hoc obseruandum est, quod bona opera à Paulo non definiantur esse iusticia, sed fructus iusticiæ: Quo dicto significatur necessaria consecutio bonorum operum ad gratuitam iusticiæ imputationem. Debet igitur iusticia Christiana perpetuo, ut palma florere.

SECVNDA PARS.

Scire uos uolo fratres, quod quæ mihi acciderunt, magis ad profectum Euangelij euenerunt.

PRopositio expositionis, cuius sensus hic est. Meus carcer & persecutio quam hic Romæ patior hactenus cessit in profectum Euangelij,

hoc est, *Meus carcer fuit occasio ut latius in mundo spargeretur Euangelium, & feliciores successus habuerit: Significat enim* προκοπὴ *felicem promotionem & successum.*

Ita ut mea uincula manifesta sint in Christo, in toto prætorio, & reliquis omnibus.

Expositio continens rationem propositionis, cuius hic sensus est. Euangelium occasione carceris mei innotuit aulæ Neronis, adeoq; omnibus Romanis reliquis. Sciunt enim me propter Christi negocium in carcerem coniectum esse. Est itaque hic non exiguus Martyrij sanctorum fructus quòd inde magis magisq; patefiat, & innotescat Euangelium Christi. Dicitur autem crux ministrorum uerbi & piorum afflictio μαρτύριον, *quia est testimonium doctrinæ, & ueluti quædam Euangelij obsignatio. Nam cum homines uident sanctos non propter crucem abijcere confeßionem, cogitant eos certis niti fundamentis.*

Et pleriq; ex fratibus in Domino freti uinculis meis, magis audeant impauidè sermonem loqui.

Alius fructus uinculorum Pauli, quod non

pauci qui antea timidiores erant, Pauli inuicta fortitudine animentur ad prædicandum sine timore Euangelium. Sæpè enim unius constantia multos animare solet. Huc igitur pertinent sanctorum martyria, ut non solum ministris uerbi animum addant, ad quiduis nomine Euangelij ferendum: Verumetiam ut auditoribus constantiæ, argumentum & liberæ confeßionis calcaria esse debeant, ob has duas causas in primitiua Ecclesia memoria Martyrum celebrabatur piè, & utiliter, quæ in Papatu fœdis abominationibus est contaminata.

. Ac nonnulli quidem per inuidiam & contentionem, nonnulli uero etiam propensa uoluntate Christum prædicant.

Distributio est, qua ostendit & hunc fructum prouenire ex suo carcere, uidelicet, quòd non solum boni & fideles, uerùmetiam mali & infideles Euangelium prædicauerint. Mali quidem inuidia & contentionis studio incitabantur, Nam quò plures docebant Euangelium, eò magis causa Pauli grauabatur, ut qui istius sectæ autor haberetur: Boni uerò & fideles animati exemplo Pauli, studebant ut Christi Euangelium magis innotesceret, & spargeretur per totum orbem in plurimorum salutem.

Illi quidem per contentionem Chriſtum annunciant, non purè, exiſtimantes ſeſe afflictionem addere uinculis meis: Hi uero ex caritate, ſcientes quòd ad defenſionem Euangelij ſim conſtitutus.

Confert utrumq; genus in cauſis efficientibus, & finalibus maioris declarationis gratia. Prius membrum eſt: qui per contentionem Chriſtum annunciant, id faciunt non purè, id non puro affectu, nec ob uerum finem, ſed ut adferant afflictionem uinculis meis, hoc eſt, ut magis grauent cauſam meam, qui propter Euangelium in carcerem coniectus ſum. Nam cum Paulus teneretur in carcere, multi prædicabant Chriſtum, ut Neronem magis inflammarent aduerſus Paulum. Fuerunt autem iſti abſq; dubio Iudæi, qui ad quiduis patrandum parati erant, ut Paulus è medio tolleretur. Poſterius membrum eſt, quòd quidam, uidelicet pij uero amore Chriſti et Euangelij moti annunciarunt Euangelium, atq; ideo ſe Paulo adiunxerunt, moti exemplo conſtantiæ ipſius, qui in ipſo carcere non deſtitit à propaganda Euangelij doctrina. Exemplum miniſtris uerbi, adeoq; omnibus pijs imitandum, uidelicet, ut laborantibus Eccleſiæ membris, quantum in ſe eſt, opem ferant.

Quid igitur? Attamen quouis modo, siue prætextu siue ueritate annunciatur Christus, de hoc quoque gaudeo, atque etiam gaudebo.

Quia absurdum alicui uideri poterat, quod dixerat per malos quoq; Euangelium annunciari, anticipat eam obiectionem, & affirmat se ideo gaudere, quod ista occasione Euangelij fama ad plures perueniat. Vtitur enim Deus sæpè malis instrumentis ad boni operis effectionem. Sic etsi Scribæ et Pharisæi mali erant, nihilominus tamen illorum doctrinam ea parte, qua sincera apud eos remanserat, non paucis profuit.

Prætextus & ueritas hic opponuntur, per prætextum, studium nocendi intellige, per ueritatem, sinceritatem seu uerum animi studium ad propagandum Euangelium.

Noui enim quod hoc mihi cedat in salutem per uestram deprecationem, & subministrationem spiritus Iesu Christi.

Cur se gaudere dicat, ex eo quod Christus quouis modo prædicetur, ostendit. Sensus autem uerborum Pauli hic est. Vtut isti inuidi & contentiosi omnia in meam perniciem machinantur, tamen Christus per me glorificabitur sparso eius

Euangelio latè per orbem: quo ſanè gloria nulla maior in hac uita mihi contingere poteſt. Obſeruetur autem imprimis, quod Apoſtolus hoc non dicat fretus ſuis uiribus, ſed deprecatione Philippenſium et ſubminiſtratione, ſpiritus Chriſti, qui in cruce & uires addit, & conſolatur, Hic rurſus neceßitatem Stoicam euerſam uidemus.

Secundum expectationem et ſpem meam, quod nulla in re pudefiam, ſed cum omni libertate, ut ſemper, ita nunc quoq; magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per uitam ſiue per mortem.

Vt certam et immotam ſpem ſe habere, doceat duabus uocibus idem in genere ſignificantibus, utitur. Prior eſt ἀποκαραδοκία, quam interpres expectationem uertit, & componitur ab ἀπὸ, id eſt, à, κάρα, id eſt, caput, & δοκεῖν, annuere, Perinde ac ſi caput totum uergat, & inclinet in id, quod firmiter & certo ſperatur. Quaſi dicat Apoſtolus, Spero equidem certo & ſine omni hæſitatione. ut quemadmodum hactenus, ſic & poſt hac per me Chriſtus glorificetur. Monemur hoc loco, non omnia alienis precibus eſſe relinquenda, quinetiam ſperandum per nos erit quod cupimus, & ardentibus uotis depoſcendum, Sic enim

ſcriptum eſt: Fiat miſericordia tua ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te. Vehementer igitur iſti errant, qui publicas pro ſe preces fieri mandant, ac interim ipſi uiuunt ſine pœnitentia ſecuri, omnibus libidinibus & furoribus indulgentes, qua ratione ſibi & ſuis maius exitium accerſunt.

Mihi enim uiuere Chriſtus & mori lucrum eſt.

Probat proximum dictum, nimirum quod Chriſtus magnificabitur in ſuo corpore, ſiue per mortem ſiue per uitam. Eſt autem huius probationis ſenſus, Siue uiuam, ſiue moriar, Chriſtus meum eſt lucrum, quo fretus ſecurus ſum & in uita & in morte. Nam uiuere & mori hìc ponuntur nominaliter, quod articulus præfixus τὸ indicat, & ſubintelligitur ἐν præpoſitio, ut ſit ſenſus. Quando uiuo, Chriſtus eſt meum lucrum, & quando morior, idem Chriſtus eſt meum lucrum. Quare mihi perinde eſt, ſiue uiuam diutius, ſiue moriar. Quid lucrum appellet Apoſtolus, ex præcedentibus notum eſt, nempe gloriam Chriſti, quæ cum Apoſtoli commodo eſt coniuncta. Hic locus docet, qualisnam fiducia piorum eſſe debeat, cùm in uita tùm in morte. Non enim frangi metu mortis poteſt is, qui ſerio & uiua fiducia Chriſtum uictorem mortis, ſuum lucrum eſſe ſtatuit,

tuit, eumq́; solum omnibus & lucris & damnis anteponit.

An autem uiuere in carne hoc mihi fructus operis sit, & quid eligam ignoro.

Deliberationem instituit per digreßionem. Vtrum ne uiuere aut mori sit utilius, utrumq; enim utile & honestum in Domino. *Causa huius deliberationis est. Quòd maior fructus ex uita* Pauli, *quàm ex morte ipsius prouenire uideatur. Nam dum uiuit, inter homines se propagare* Euangelium Christi *(quod uberrimum fructum suæ uitæ, indicat) uidet. En, pij pectoris ingenium.* εἰ *per an reddidi,* Ita *enim solet in subiectionibus accipi.* In carne uiuere *hoc loco, est in hoc caduco corpore uitam degere.* τοῦτο, *id est, hoc, abundat ex idiotismo* Hebræorum, *qui sæpißimè antecedens repetunt.* Fructus operis, *id est, opereprecium, nempe res utilis & fructuosa, digna in qua aliquis operam ponat.*

Coarctor autem ex his duobus, desiderium habens, migrare & esse cum Christo.

Vtriusq; partis deliberationis causis se moueri dicit Apostolus. *Mori quidem optandum iudi-*

cat, propterea quòd mors piorum ſit acceſſus ad fruitionem gloriæ Chriſti. Viuere uero optandum iudicat, propter ſalutem Eccleſiæ promouendam ſua prædicatione: Vocabulum ἀναλῦσαι, quod migrare reddidi, à nautis ſumtum eſt qui profecturi ſoluere dicuntur. Sic etiam accipitur hoc uocabulum Luc. 12. Et in ſpecie ſignificat redire eò unde quis uenerat.

Sed permanere in carne magis neceſſarium eſt propter uos.

Alterius partis deliberationis ratio ab utili, ac ſi dicat: Si uos reſpicio, & ueſtrum in Euangelio profectum, ſatius eſt me in carne manere, hoc eſt, in hoc caduco corpore uitam aliquamdiu degere.

Ex utroq; deliberationis membro hæc diſcamus.

Primùm, quòd mors ſit non interitus piorum, ſed migratio animæ à corpore ad tempus.

Deinde, quòd animæ piorum non dormiant, ſed Chriſti conſpectu in cœlis fruantur.

Tertiò, quòd tota noſtra uita debeat ſibi proponere Chriſti gloriam, ac ædificationem Eccleſiæ Chriſti.

Quarto, quòd Chriſtiani non debeant mortem expaueſcere, ſed in Chriſto ſtatuere mortem eſſe aditum ad meliorem ſtatum, quàm ſit hic præſens.

Et hoc

Et hoc confisus noui quòd mansu-
rus sim, & unà permansurus cum uo-
bis omnibus ad uestrum profectum
& gaudium fidei, ut gloriatio uestra
abundet in Christo Iesu de me, mea
rursus apud uos præsentia.

*Finem sui uoti addit Apostolus, nimirum pro-
fectum Philippensium & gaudium fidei, quod ex
prædicatione Euangelij percipiant fideles. Ob-
seruetur fructus profectus in cognitione Euange-
lij, uidelicet quòd quò magis proficimus in fide ex
prædicatione Euangelij, eò maius reddatur gau-
dium piorum, quod ex fide proficiscitur, & abun-
dantior fiat gloriatio in Christo. Hic sanè fructus
uberrimus & dulcißimus, merito nos excitare ad
audiendum, legendum, meditandum uerbum de-
beret.*

TERTIA PARS.

Tantum dignè Euangelio Christi
conuersamini, ut siue uenero & uide-
ro uos, siue absens fuero, audiam de
rebus uestris, quod stetis in uno spiri-
tu, uno pariter animo decertantes per
fidem Euangelij.

PRopositio suasoria, eaq; generalis, quam mox in duo capita distribuit Apostolus: quorum Prius est, ut Philippenses in negotio Euangelij fortiter se gerant, ut spirituales athletas decet. Posterius continet mutua officia piorum, ut mores respondeant Euangelio. Prius caput persequitur usq; ad finem præsentis capitis. Posterius aggreditur in principio secundi, quod copiosa enumeratione prosequitur.

Est autem digne Euangelio uiuere, respondere dignitati Euangelij, fidei puritate & morum innocentia, Seu, Est Euangelicam doctrinam firmo corde complecti, ac deinde sibijpsi renunciare, sublataq; cruce Christi eum sequi in pietate, patientia, modestia, iusticia & alijs uirtutibus. Ex quo manifestè sequitur, eos omnes Euangelium contumelia afficere, qui secus uiuunt, quam Euangelij dignitas requirit, ut qui fidem iactant sine uiuo cordis sensu, sine pœnitentia & pietatis exercitijs propter quos nomen Dei apud hostes Euangelij malè audit. Stare in uno spiritu, est persistere in sinceritate doctrinæ concordes, cuius rei autor est Spiritus sanctus. Est ergo Metonymia. Standi etenim uerbum athletis conuenit, à quibus sumta est translatio.

Vt igitur hoc loco perstringuntur nouatores, qui semper aliquid comminiscuntur, non tam ad

ædifica=

ædificationem quam ad inanem iactantiam, rixas & disceptationes: Ita uerè pijs commendatur constantia, ne quouis uento doctrinæ fluctuent. & instar arundinis facilè huc illuc impellantur.
Vno pariter animo decertare per fidem Euangelij: *est fide tanquam tutißimo scuto munitos, pariter in aciem prodire, hostisque se opponere.*

Hic duo obseruanda sunt: Primùm, qui nam sint hostes Euangelij, qualesq; eorum artes quibus Euangelium oppugnant. Deinde, quomodo se hostibus opponant fideles, & in qua re posita sit uictoria. Hostes sunt Satan, Caro, Mundus. Satan *nunc doctrinæ, nunc uitæ piorum insidiatur, idq; partim sophistica, partim tyrannide, partim hypocrisi.* Caro *nunc acumine rationis se Euangelio opponit, nunc blanditijs inescare incautos conatur.* Mundus *nunc blanditur, nunc minatur, nunc exemplis peßimis ueluti inuadit castra Ecclesiæ ad obruendum Euangelium. Contra hos hostes pij stabunt in acie, armis spiritualibus armati, & scuto fidei omnium hostium tela excipient. Plura de hac pugna & panoplia fidelium uide ad Ephes.6. & 1.Thes.5.*

Nec in ulla re terreamini ab ijs qui se opponunt,

Vult Apostolus contemni pericula & minas hosti-

hostium uel potentißimorum, quod sanè nemo facere potest, nisi qui uera fide munitus fuerit. huc illud Iohan: *Hæc est uictoria quæ uincit mundum, fides uestra.*

Quod illis quidem est exitij iudicium, uobis uero salutis, idq; à Deo.

Ratio cur terreri aut consternari animis non debeant pij in lucta aduersus hostes suos, sumta ab euentu. Nam ut rabies aduersariorum contra Euangelium est ipsis iudicium futuræ damnationis & exitij: Ita pijs & fidelibus apertum & planum est salutis testimonium, quod fortiter pro Euangelio contra eius aduersarios militent.

Sed unde hoc? à Deo, *respondet Apostolus. Reuocat autem Apostolus uictoriam ad Deum autorem, duabus de causis: uidelicet ne animo concidant fideles, si quid ferendum sit pro* Euangelio, *& ne insolescant aut efferantur, ac si aliquid propria uirtute efficere possent. Versio uetus, Papistis occasionem erroris præbuit, qui afflictiones Sanctorum merita salutis faciunt. Quia enim in ueteri translatione uocabulum causæ ponitur, ubi in* Græco *est* ἔνδειξις, *id est, ad uerbum iudicatio, seu iudicium uel demonstatio, arripiunt hoc* Pauli *dictum, ut eo oppugnent gratuitam salutem, cum tamen* Paulus *non de causa salutis loquatur.*

tur, sed de iudicio tantum. Nam ut *significat rabiem aduersariorum magnum argumentum esse futuræ damnationis illorum:* Ita *constantiam piorum & luctam aduersus hostes, futuræ eorum salutis demonstrationem seu iudicium prænunciat.*

Quoniam uobis donatum est, quantum ad Christum attinet, non solum in ipsum credere, sed etiam pro ipso pati.

Expolitio rationis præcedentis per distributionem. Refert enim inter gratias Dei, *& credere in Christum, & pati pro* Euangelio. *Nam ut animalis homo non percipit ea quæ sunt* Spiritus Dei: Ita *nec credere nec pati uera & inuicta animi fortitudine pro* Euangelio *potest. Obseruetur hic locus contra* Papistas, *qui fingunt liberi arbitrij esse, credere & non credere, pati pro* Euangelio *& non pati. Sed de hac re plura in capite Secundo dicemus.*

Idem certamen habentes, quale uidistis in me, & nunc auditis in me.

Proponit se exemplum & speculum fortitudinis, qua obsistere pios aduersarios decet, ne uidelicet cruce frangantur, & abijciant confessionem

nem propter acerbitatem afflictionum. Locus *obseruetur de ministris uerbi, quorum munus est exempla doctrinæ moribus exprimere, ut quemadmodum ex ore ipsorum ueritatem discunt auditores, Ita ex moribus rectè uiuendi regulam sumant. Nam cum perfectißimus modus docendi constet regula & exemplo, quod enim regula menti offertur, id exemplo sensibus repræsentatur, is pastor optimè suo fungitur officio, qui quod ore doceat, moribus exprimit.*

CAPVT SECVNDVM.

SVMMA CAPITIS SECVNDI.

MVltis argumentis hortatur Philippenses ad concordiam, humilitatem & constantiam, promittit Apostolus se missurum Timotheum & Epaphroditum, quos illis singulariter commendat.

ORDO ET PARTES CAPITIS SECVNDI.

PArtes huius capitis duæ sunt præcipuæ. Prior Parænetica est, in qua hortatur Philippenses ad uirtutes Christiana profeßione dignas. In hu-

ius loci confirmatione explicat copioſe locum de humiliatione & glorificatione Chriſti. Poſterior eſt commendatio, in qua Philippenſibus commendat Timotheum & Epaphroditum.

EXEGESIS SECVNDI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

Si qua igitur exhortatio in Chriſto, ſi quod ſolatium caritatis, ſi qua communio ſpiritus, ſi qua uiſcera & miſerationes, implete gaudium meum.

A*D mutua inter Chriſtianos officia exhortaturus* Philippenſes, *omnium* primum *ad concordiam hortatur, quæ fons eſt reliquorum officiorum & uirtutum. Inſinuat autem hac uehementi & Pathetica obſecratione inter* Philippenſes *cœpiſſe dißidia & contentiones, proculdubio per inſidias Pſeudoapoſtolorum, quod ex tertio capite colligi poteſt, ubi ita ait: Cauete canes, cauete conciſionem.*

Si qua, *inquit,* exhortatio eſt in Chriſto, *id eſt, ſi qua exhortatio nomine Chriſti facta apud uos locum habeat.* Si quod ſolatium caritatis, *hoc eſt, ſi caritas communis aliquid ſolatij*

adferat. Si qua communio Spiritus, *id est, si eiusdem spiritus Christi participes sitis.* Si qua uiscera & miserationes, *id est, si tangamini ullo misericordiæ, cùm erga uos inuicem & Ecclesiam Christi, tùm etiam erga me affectu.* Ex hisce *quatuor infert propositionem*, Implete gaudium meum. Hic *omnium primùm obseruemus ex antithesi, eos omnes spernere exhortationes nomine Christi factas, caritatem fraternam contemnere, Spiritum sanctum abijcere, adeoq; omnem affectum erga pios deponere, qui mutuæ in Ecclesia concordiæ, quæ est ministrorum uerbi haud minimum gaudium, non student.* De *concordia copiosè diximus in commentarijs nostris in Epistolam ad Galatas.*

Vt idem sentiatis.

Expositio seu definitio est gaudij Apostoli. In *Græco est* φρονεῖτε, *quod uerbum generale est, continens sub se omnes animorum actiones. Vult igitur Paulus, ut eodem sint Philippenses erga se inuicem animo & studio, ut idem in ædificationem cogitent, sapiant, meditentur, studeant, ament &c.* Notetur *quodnam potißimum ministrorum uerbi atq; adeo omnium piorum gaudium esse debeat, nimirum pia in pijs & honestis rebus consensio, & animorum coniunctio: unde postea plu-*

rimi & uberrimi in tota uita fructus sequuntur. Moueat ergo nos magis hæc spiritus sancti seria exhortatio, quàm uiciosæ carnis & cœcæ rationis peruersum iudicium.

Eandem dilectionem habentes.

Propositionis distributio est, qua quid per uerbum φρονεῖν intelligat, exponit, ac primum, idq; merito dilectionem collocat, quam uult esse eandem, id est, parem modo dilectionis.

Vnanimes.

Caritatis effectus est unanimitas, qua consentientibus animis & sententijs, coniunctisq; uiribus nos inuicem foueamus ac ædificamus in bono.

Vnum sentientes.

Effectus est unanimitatis. Vbi enim unus animus, ibi quoq; unum studium existit. Cum igitur uno animo (non quidem substantia, sed uoluntate & affectu) coniunctos esse deceat Christianos, par est, ut non solum mutuis officijs ex caritate manantibus se inuicem foueant, uerùm etiam ut in doctrina religionis summum tueantur consensum, Huc Psalmus pertinet, Ecce

quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in unum.

Nihil ex contentione aut inani gloria.

Amplificat per Antithesin, & sublatam uult discordiæ originem & concordiæ pestem, quæ est contentionis studium: quod ex inani ambitione nascitur. Obseruetur uerum inanis gloriæ indicium & concordiæ pestem esse rixandi libidinem. Quare summopere pijs contentiones sunt uitandæ, modo, ne cum pietatis & ueræ doctrinæ sinceræq; iniuria fiat. Tum enim cum Paulo licebit dicere: Qui aliud Euangelium prædicauerit, quàm ego, anathema sit.

Sed per humilitatem alijs alios existimate præstantiores.

Causam proximam mutuæ concordiæ facit ueram humilitatem, qua quis uilis in oculis suis apparens, nihil altum de se cogitat: sed alios præ se honorandos iudicat, ut excellentiores. Quod quidem no ad statum œconomicum & politicum, & officiorum discrimina referendum est, sed ad animi et conſciẽtiæ forum, ubi quilibet prostratus

coram Deo agnoſcit propriam infirmitatem & utilitatem, agnoſcit magnitudinem peccati ſui. Hæc cognitio facilè efficiet, ut neminem non meliorem ſe iudicet, is cui pietas eſt cordi.

DE HVMILITATE Chriſtiana.

QVos Paulus humiles, hos Chriſtus pauperes ſpiritu nominat. Sunt proinde uerè humiles coram Deo, qui omni propriæ uirtutis, ſapientiæ & iuſticiæ fiducia exinaniti, quicquid boni eſt, in ſolo Deo quærunt. Quare humilitas Chriſtiana coram Deo eſt uirtus, qua ex uerißima noſtri cognitione nobis ipſi uileſcimus, omnique propriæ uirtutis, ſapientiæ & iuſticiæ, fiducia exinaniti nos coram Deo proſternimus, ac in eo ſolo omnia bona per CHRISTVM quærimus. Ex hac humilitate coram Deo naſcitur humilitas coram hominibus, quæ in uera dilectione fundatur. Hæc facit ut nos nemini præferamus ſuperbè, ſed omnibus ſincerè nos accommodemus. Quoniam autem hæc Humilitas, qua nos uel coram Deo proſternimus, uel nos proximo ſubijcimus, non naſcitur in carne noſtra. Quærenda eſt ipſius uera ſcaturigo, quæ eſt regeneratio no-

ſtri per fidem & Spiritum ſanctum, priuſquam enim renaſcimur, φιλαυτία in nobis regnat, & inanis gloriæ cupiditas, Verùm in renatis incoatur uera humilitas, quæ cognitione harum rerum creſcit & perficitur tandem.

Primùm cogitabimus mandatum Dei eſſe, ut ſimus humiles, huc primum præceptum facit, & mandatum de dilectione proximi, qui contra hæc præcepta ſuperbit, Deum offendit, excutit Spiritum ſanctum, & incurrit in pœnas.

Deinde proponemus nobis exemplum Christi, ad quod Paulus hic nos reuocat, cũ dicit, Chriſtum cum poſſet ſe in maieſtate glorioſa ut Deum exhibere, ſe puſillum hominem in omni humilitate exhibuiſſe, ad hoc ſuum exemplum inuitat Chriſtus ſuos diſcipulos, cum inquit: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Quis, inquit Bernhardus, ſanæ mentis contemnit humiliari propter tam humiliatum pro nobis?

Tertio loco conſiderabimus nos ipſos penitus, quid fuerimus ante ortum, quid ab ortu, ad occaſum, quid erimus poſt hanc uitam. Fuimus ſemen & ſanguis in utero. Iam in deſerto miſeriarum huius uitæ ſumus, peccatis multis contaminati. Erimus aliquando eſca uermium & puluis, ut Abraham ſe puluerem agnoſcit. Huc pulcrè quadrant uerſus iſti:

Heu cur usq; adeo uilißima terra superbit,
Cuius fœda breui corrodent uiscera uermes.

Quartò cogitabimus, Si quæ bona habemus, non nostra esse, sed Dei, in aliorum commodum nobis collata, ut illa tanquam Oeconomi Dei dispensemus.

Quinto cogitabimus, Deum qui dedit, posse etiam auferre quæ dedit, si ijs abutamur.

Sexto ueniet etiam nobis in mentem, quod alij qui minora dona uidentur habere, quam nos, sæpè plus operæ præstent, & utiliores sunt Ecclesiæ.

Septimo accedat quotidiana in exercitijs pietatis assuefactio, unde non solùm humiltas, uerumetiam aliæ uirtutes crescunt, & ueluti adolescunt.

Octauo de multiplici ueræ humilitatis fructu cogitabimus, nam siue Deum respicimus, siue nos ad homines conuertimus, siue nos ipsos consideramus, mirabilis humilitatis fructus est uidere. nam si Deum respicimus, præparat humilitas Deo hospitium, iuxta hanc Propheticam sententiam, In sancto habitat, & cum contrito & humili spiritu. Item, Ad quem respiciam, nisi ad contritum spiritu & trementem ad sermones meos?

Hunc enim iuxta Christi dictum exaltat Deus, cum interea superbis ἀντιτάσσεται, ut Petrus loquitur. Si ad homines nos conuertimus, honora-

tur humilis, cum contra contemnitur ſuperbus. nam nemo non odit ſuperbum tanquam mancipium Satanæ & hoſtem Dei, *& contemtorem hominum.* Si nos *ipſos conſideramus, dulcißimos humilitatis fructus percipiemus.* Primùm *enim humilitas uera eſt mater pudicitiæ & patientiæ*, Deinde *ad ſapientiam parandam uiam ſternit, iuxta illud* Salomonis, Vbi *eſt humilitas, ibi & ſapientia.* Adhæc *humilitas pia eſt cuſtos fidei & timoris* Dei. Eſt *quoq; inuocationis cauſa quædam, & ueluti quædam exauditionis conciliatrix in* Domino, *ut in* Pſalmo *habetur*, Reſpexit Dominus *ad orationem humilium, præterea ueram humilitatem comitatur gloria.* Matth. 5. Beati *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Et 24. Qui *ſe humiliauerit, exaltabitur.* Huc *illud* Auguſtini, Sicuti *arbor ut ſurſum creſcat, profundas ſubtus radices agere debet: ita quiſquis in humilitate fixum animum non habeat, in ruinam ſuam extollitur.* Inſuper *humilitas illa, de qua nobis eſt ſermo,* Eſt *ornatus animæ pulcerrimus, unde* Petrus *in prioris quinto,* ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε, *hoc eſt, induite tanquam ueſtem, ſeu humilitate intus ornati ſitis.* Hæc *ſint dicta de humilitate contra ſuperbiam, quam & uetus* Poëta *damnat, cum ait,* μὴ γαύρου σοφίῃ μήτ' ἀλκῇ μήτ' ἐνὶ πλούτῳ.

Non

Non consideretis quisq; quod suum est, sed unusquisq; etiam quæ sunt aliorum.

Id est, quilibet consulat commodis proximi sui in ædificationem. Quod ubi fit, nec contentio, nec inanis gloria locum habere potest. Hic cauendum est, ne hanc utilißimam uirtutem cum turpißimo πολυπραγμοσύνης *studio confundamus. Illa enim sancta quædam cura est, qua quisq; proximi studijs perinde atq; suis studet. Hæc profana temeritas est, qua quis nunc aliena munera inuadit, nunc alios calumniandi studio obseruat. De hac rectè dicitur,* τῆς πολυπραγμοσύνης οὐδὲν χορεώτερον ἄλλο.

Hoc enim sentiatur in uobis quod & in Christo Iesu,

Maximum exemplum imitandum proponit, nempe Iesu Christi. Est autem hic uerborum sensus, ut inter se eum affectum seruent Philippenses, quo fuit præditus Iesus Christus. Sentiatur, imperatiuum est uerbum, quod in nomen resolui potest, hoc modo, Hæc sit uestra sententia, quæ Christi sententia fuit. Seu, Hic sit affectus in uobis, qui fuit in Christo Iesu, nempe summa humilitas.

Qui cum esset in forma Dei, non duxit rapinam parem esse cum Deo, sed ipse se inaniuit forma serui sumta, in similitudine hominum factus, & habitu compertus ut homo, humiliauit seipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, Quapropter etiam Deus ipsum exaltauit, & donauit ei nomen quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium, & infernorum, omnisque lingua confiteatur quōd Dominus sit Christus Iesus ad gloriam Dei Patris.

Exponit Apostolus & definit qualis fuerit affectus in Christo, unde occasionem nactus, copiosam doctrinam tradit, de Christi diuinitate, potentia, humanitate, persona, beneficijs, morte, resurrectione, glorificatione ac regio honore. Hæ doctrinæ partes cum sint Christianismi præcipua capita, uolo eas breuiter in enarratione attingere, Ac primum quidem dicit.

Qui cum esset in forma Dei.

Hæc diuinitatis Christi assertio est. Esse autem in forma Dei, *est maiestate & gloria se* Deum *uerum declarare, id quod fecit* Dominus *etiam ante*

assumtam formam serui, ut hic Paulus manifestè loquitur. Nam discernit inter tempus maiestatis & inanitionis seu humiliationis, quo formam serui assumsit. Ideo autem & formæ Dei & formæ serui meminit, ut Christi affectus expressus proponatur, qui neglecta maiestatis gloria se ita submisit, ut noster fieret seruus, humana natura assumta in unionem hypostaticam.

Obseruetur igitur hoc loco testimonium de diuinitate Christi, Firma est enim à maiestatis & gloriæ declaratione ad essentiam consequentia. Ita enim Dominus per Prophetam ait: Gloriam meam alteri non dabo. & uerbum ὑπάρχειν *significat cum diuinitatis declaratione simul adesse essentiam. Rectè igitur Augustinus in* Formæ *nomine naturalis plenitudo debet intelligi, sequitur,*

Non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo.

Homines superbi, atq; adeò Diabolus ipse, interdum sibi assumunt diuinos honores, cum tamen sciant se nequaquam Deos esse. At Iesus Christus certo sciuit, quod esset æqualis Deo, & quòd diuinum honorem uendicaret sibi sine iniuria Dei. Rapina *res aliena est, quæ per iniuriam poßidetur. Significat Apostolus hac uoce, Christum non sumpsisse aliunde diuinitatis gloriam, sed uerè*

& sub-

& substantialiter Deum esse. Non rapina fuit, inquit Augustinus, illa filij cum patre diuinitatis æqualitas, sed natura. Non enim potuit esse rapina, ubi æqualis erat natura, hæc itaq; Christi humiliatio homines arrogantes humiliet, qui cum ipsi nihil sint, superbè tamen sibi arrogant honores, ac si alijs meliores essent: quod quidem rapinæ genus est. Porrò quia æqualitas in unam personam non cadit, significat Apostolus hac uoce Iesum Christum æternum Deum esse, distinctam tamen à Patre personam, ὁμοούσιον Patri & Spiritui sancto. Vt igitur æqualitas personarum distinctionem ostendit: Ita quoq; Arianos confutat, qui hunc Iesum Christum secundum naturam diuinam Patre minorem, hoc est, inæqualem esse iudicarũt.

Sed inaniuit semetipsum forma serui sumta.

Humiliatio Iesu Christi uoluntaria hisce uerbis describitur. Nam cum dicitur, inaniuit seipsum, significatur spontanea submißio. Qualis autem sit hæc inanitio seu humiliatio filij, in sequenti textu exponitur per distributionem. Forma serui est qua Filius Dei reuera seruilem conditionem in se recepit cum natura humana. Nam non solum Patris cœlestis, sed etiam hominum factus est seruus, nõ quidem coactione, ut dictum est, sed spontanea uoluntate. Etsi autem omnes credentes

ſerui ſunt Dei, ut qui ea conditione adoptentur, ut ſe & totam uitam Deo in obſequium addicant: Chriſtus tamen peculiari modo, ſeruus Dei dicitur, uidelicet, quod Deus Pater ipſum emiſerit ad opus eximium quoddam, quod cum cæteris commune non habet.

Obſeruetur hoc loco Antitheſis in uerbis Pauli, ſuprà dixit, in forma Dei exiſtens, hic uero formam ſerui aſſumens, qua antitheſi ſignificatur, quod forma Dei ipſi per naturam & eſſentiam competat, & quòd forma ſerui tantùm ſit aſſumta ab illo in unionem perſonalem, atq; ita qui Rex Regum, & Dominus Dominantium natura eſt, ſeruilem conditionem ſuſcepit, aſſumta natura humana, ut ſua ſeruitute genus humanũ à perpetua peccati ſeruitute & miſeria redimeret.

In ſimilitudine hominum factus.

Hoc eſt, ſimilis factus alijs hominibus, ut qui ueram naturam humanam aſſumſerit.

Et habitu compertus ut homo.

Interpretatio eſt à ſigno. Confirmat enim Chriſtum uerè aſſumſiſſe humanam naturam, idq; à proprietatibus humanæ naturæ, quæ ab ea ſeparari nõ poſſunt. In omnibus enim, exempto peccato, ſe geſſit ut uerus & naturalis homo, creuit, comedit,

medit, bibit, dormiuit, ſatigatus eſt, fleuit, triſtatus eſt. Breuiter, Humanæ naturæ proprietatibus ſe uerum hominem declarauit. Hoc loco perperam abuſi ſunt Morcioniſtæ, qui hinc colligebant, corpus Chriſti eſſe ſpectrum, ſeu phantaſma, & non uerum corpus, ſed facilè iſtud delirium refutatur. Nam Paulus hic ſimilitudinem non ſeparat à natura, nec particula, ut, improprietatis nota eſt, ſed potius ueræ & ſolidæ approbationis, ſicuti ſæpè aliâs. Præterea ſcopus Apoſtoli hic eſt, ut doceat qualiter ſe geſſerit Chriſtus humana natura aſſumta. Oſtendit enim ipſum cum poſſet ſe in maieſtate glorioſa, ut Deum exhibere, ſe hominem in omni humilitate exhibuiſſe. Nam Philippenſes hoc loco ad humilitatem hortatur Apoſtolus, cuius rei gratia, ut dictum eſt, Chriſti exemplum adducit, affirmans ipſum, cum in forma Dei eſſet, eximaniuiſſe ſeipſum, forma ſerui aſſumta, id eſt, humana natura cum omnibus ſuis naturalibus proprietatibus, ſed ſine peccato: quod non eſt à natura, ſed aliunde, nempe ab inobedientia primorum parentum, pro qua ut ſatisfaceret, ſubijt crucem, ut ſequitur.

Humiliauit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.

Hoc eſt, in humanitate ſeu ſecundum huma-

nam naturam usq; adeò se humiliauit, quod detestandi patibuli (quod sontibus tantùm & maleficis debeatur) supplicia subire uoluerit, ut genus humanum repararet. Vis itaq; argumenti præsentis hæc est: Cum Christus Dominus ita se humiliaret propter nos, ut crucis horrendum supplicium subiret, decet profectò nos humiliari, qui natura miseri & caduci sumus: Decet ut nobis inuicem in omni humilitate seruiamus. Quanquam autem iuxta diuinam naturam pati non potuit Christus, tamen humiliatio ipsa & crux personæ fuit quæ est Deus & homo. Quare merito Philippensibus atq; adeò omnibus Christianis hoc summum humilitatis exemplum ab Apostolo proponitur: quæ sanè humiliatio non est perpetua, sed habet felicem exitum, ut etiam in Christo uidemus, quemadmodum sequitur:

Quapropter etiam Deus ipsum exaltauit, & dedit ei nomen, quod est supra omne nomen.

Hoc addit, ut proposito præmio Philippenses ad humilitatem inuitet. Si etenim ipsum in uera humilitate fuerimus imitati, poterimus eiusdem merito sperare, ut cum ipso exaltemur, iuxta illud Pauli ad Romanos; Compatimur cum illo, ut etiam

am glorificemur. Et illud Christi, Qui se humiliat, exaltabitur.

Quanquam autem secundum diuinitatem nec exaltari, aut maiorem dignitatem consequi potuit Filius Dei, semper Patri æqualis, quàm eam, quàm semper cum Patre habet: Nec secundum humanitatem diuina gloria illi competit. Scriptum est enim, Gloriam meam alteri non dabo: tamen ratione eximanitionis & humiliationis, quæ fuit personæ, hæc rectè dicuntur. Porrò quod additur:

Vt in nomine IESV omne genu se flectat.

Periphrasis est, qua diuina maiestas, dignitas & gloria circumscribitur, Sensus ergo est: Vt omnia creata Christum ut Dominum uenerentur, ac sese illi submittant, diuinam ipsius agnoscentia maiestatem. Huc pertinet distributio quæ sequitur:

Cœlestium, terrestrium, & infernorum.

Nihil enim uult aliud Apostolus hac distributione, quam nullam creaturam excipi, quæ non

Chri-

Christum superiorem agnoscat, Verum cum Papistæ ex tertio distributionis membro purgatorium fabricant, ualde debili fundamento nituntur. Ex hoc enim loco in hunc modum colligunt: Inflectunt genua Christo, quod de diabolo dici non potest. Igitur sunt animæ in purgatorio quæ Christo hunc cultum præstant apud inferos. Respondeo. Paulus hic loquitur nõ de cultu simpliciter, sed de subiectione in genere, & agnitionè maiestatis Christi & gloriæ, à qua agnitione nequaquam eximuntur damnati. Imò ipsi Diaboli Christum agnoscunt, ut uel ad nomen Iesu contremiscant. geniculatio igitur hæc non cultus, sed subiectionis est, significatur enim sistio diabolorum ad tribunal Christi, cum trepidatione, ut Paulus hanc geniculationem interpretatur, Roman: 14. omnes sistemur ad tribunal Christi, scriptum est enim, uiuo ego mihi flectitur omne genu: Male igitur architecti purgatorij hunc locum ad suam fabricationem torquent, ut interim taceam nihil sani esse in doctrina de purgatorio, quemadmodum duabus firmißimis demonstrationibus ostendam, Definiunt Monachi purgatorium esse satisfactionem, quæ post mortem à defunctorum animabus pro peccatis penditur in igne purgatorij. Hac cum definitione pugnat uictima Christi qua sola expiatur peccatum. Ita enim ait Iohannes. Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato.

Proinde cum satisfactio solius Christi sit, sequitur sententiam Papistarum contumeliosam erga Filium Dei esse, qui alium satisfaciendi modum quærunt quàm Christi sanguinem: quo intelligitur crucis obedientia, deinde obijcio Papistis hoc dilemma: Omnes homines uel in fide discedunt uel sine fide. Si in fide, de morte corporum transeunt ad uitam animæ. Iohan. 5. Qui credit illi qui me misit in iudicium non ueniet. Sed transiuit de morte ad uitam, est enim finis fidei salus animarum, 1. Pet: 1. Reportantes finem fidei uestræ salutem animarum uestrarum. Si sine fide discedunt, ex hac uita, ira Dei manet super eos. Iohan. 3. Cùm igitur nec fidelis nec infidelis purgatur igni infernali, friuolum est commentum Papistarum de Purgatorio, cuius tamen prætextu multorum possessiones ad se fraudulenter transtulerunt. Hanc interpretationem confirmant etiam ea quæ sequuntur.

Confiteaturq́ omnis lingua, quod Dominus sit Iesus Christus, idq́ in gloriam Patris.

Id est, finis imperij Christi gloria Dei Patris est, qui ex hoc glorificabitur quod suis æternam uitam per Christum dederit, & hostes per eundem uicerit & damnauerit.

Proinde dilecti mei sicut semper obedistis, non ut in pręsentia mea tantum sed nunc multo magis in absentia mea cum timore & tremore, uestram ipsorum salutem operamini.

Consequentis illatio. Concludit enim à Christi exemplo non solum uerę humilitati studendum esse, uerumetiam omni uirtutum generi incumbendum, atq; hæc conclusionis summa est. Cæterum amplificatio huius conclusionis tria habet. Primum collationem temporis præteriti cum futuro, Sæpe enim ex præterito coniectura de futuro sumitur. Hactenus, *inquit,* Obedistis *semper: Quare spero ut in posterum quoq; uos obsequentes præbeatis.* Secundum *modum conuersationis in hac uita.* Cum timore, *inquit,* & tremore, *id est, cum uera animi humilitate, pura conscientia, synceraq; religione, seu sollicito tremore quo non dubitatio alitur, sed quo neglectus* Dei, *falsa colendi* Deum *ratio, securitas carnalis, ignauia & superbia excutiuntur.* Tertium *Vsum, cum inquit,* Vestram ipsorum salutem operamini, *id est, uestrum salutis cursum conficite, hoc est, dum in hac mortali uita manendum est uobis, cum timore, & tremore uiuite.*

Non est autem salutem operari, operibus mereri salutem aut consequi, sed in salutis stadio feliciter progredi. Operari igitur salutem dicitur, qui in sanctitatis stadio currit. Quamuis enim gratis in uno Christo per fidem apprehenso seruemur, per uiam tamen iusticiæ & innocentiæ ad salutem contendere nos oportet. Quoniam Filij Dei eius spiritu ducantur, per quem sunt iustificati, ut in bonis operibus ambulent. Hæc consentiunt cum dicto Apostoli ad Ephes: 2. Gratia saluati estis per fidem (& hoc non ex uobis Dei donum est) & non ex operibus ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus ut in ijs ambulemus: Et cum disputatione Pauli ad Roman: Postquam enim Apostolus illic de gratuita iustificatione disputauerat, mox addit doctrinam de bonorum operum necessitate.

Nam Deus est qui agit in uobis & uelle & efficere pro beneplacito.

Ratio exhortationis seu comprobatio à facili seu caussa efficiente: Deus est qui operatur omnia salutaria in uobis, igitur cum timore Dei in recto cursu pergite apprehensa manu Dei. Operatur autem Deus uelle in nobis dum ex mala uoluntate bonam facit: Operatur efficere quando

ſuo ſpiritu nos iuuat & addit uires. Sed qua re motus? hoc agit εὐδοκία, id eſt, beneuolentia paterna qua nos complectitur, & amat in dilecto filio ſuo, ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto. Epheſ: 1. Obſeruetur hoc loco teſtimonium euidentiſsimum contra liberi arbitrij aſſertores. Si enim naturalium uirium eſſet uelle & efficere ſalutaria, non hoc Paulus tribueret peculiari actioni Dei in iuſtificatis. Verum poſtquam Deus ſuo uerbo credentem illuminauit ſuo ſpiritu, ex uoluntate mala bonam fecit, & uires ſubſequente gratia adiuuat, non ſumus iam ſtipites aut ſaxa, ut inuiti trahamur, ſed quod rectè uolumus efficere iuxta uires ex beneuolentia Dei collatas, poterimus. Sicut ergo extra gratiam nulla eſt libertas uoluntatis ad ſpirituales actiones, Ita gratia collata libertas aliqua uoluntatis redditur, quæ actionum ſpiritualium quædam cauſa eſt, rectè proinde numerantur cauſſæ conuerſionis & bonarum actionum, uerbum, ſpiritus ſanctus & uoluntas, Sed docta uerbo, mota & roborata à ſpiritu ſancto. Voluntas enim ſic docta mota & roborata à ſpiritu ſancto, poteſt uel aſſentiri, uel non aſſentiri, poteſt ſpiritui ſancto obedire, uel reſiſtere, id quod ex concione Stephani, Act: 7. manifeſtè colligitur. Phariſæi audientes Chriſtum à Deo trahebantur uerbo & ſpiritu ſancto, uoluntas eorum mouebatur à ſpiritu ſancto ad aſſentiendum, Sed nihi-

lominus contumaces manserunt aduersum spiritum sanctum, ex quo fit quod Christus tribuat illis peccatum in spiritum sanctum.

Omnia facite sine murmurationibus & disceptationibus.

Pergit Apostolus in concordiæ præceptis. Per murmurationes, clancularias oblocutiones intelligit, quæ uiam sternunt ad apertas discordias. Disceptationes sunt uerborum pugnæ, unde fit ut alij alijs cedere nolint, ex quo postea scaturiunt seditiones, schismata, conuicia, bella, atq; adeo Diabolo aperitur ianua ad capiendos & perdendos homines.

Vt sitis irreprehensibiles & sinceri.

Hoc est, ut sitis tales, ut nemo de uobis conqueri poßit, utq; neminem lædatis aut ulla iniuria afficiatis dicto uel facto, ἄμεμπτοι enim græcè sunt, qui ita uitam instituunt, ut sine omni querela uiuere uideantur, ἀκέραιοι dicuntur innocui, sinceri, seu placidi, & à lædendi studio alieni. Metaphora sumpta est ab animantibus, quæ uel cornibus omnino carent, uel ita natura mitia sunt, ut cornibus neminem petere tentent. Coniungit

itaq; Apostolus caussam & effectum, Sed effectum priori loco ponit. Obseruetur hoc dictum contra eos, qui tametsi boni & Christiani iudicari uelint, semper tamen pungunt absentes, & saepe commendationis praetextu famam innocentum denigrant, commendationi admiscentes quandam uafram & diabolicam (quam tamen studium erga absentes interpretantur) obloquutionis libidinem.

Filij Dei inculpati in medio nationis prauae & tortuosae.

Collatio est qua confert filios Dei cum hominibus nondum regeneratis, ut ostendat longè diuersißima esse debere illorum studia. Filiorum enim Dei est imitari patrem coelestem, instituendo uitam iuxta ipsius mandatum, & prout ipsum habeant uitae exemplar, sicuti ipse dicit. Sancti estote sicut ego sanctus sum. Contrà autem non regenerati suam prauam & distortam sequuntur originem. Vocat autem nationem prauam & peruersam quae ordine peruerso, & contra quàm decet omnia facit, distorquendo ut ex rectis obliqua fiant. Quod sane fit dum in rebus diuinis à principijs adhuc reliquis in natura deflectunt ad omnem impietatem & iniusticiam.

Primum obseruetur hoc loco, qualenam sit in-

genium omnium hominum, qui nondum per regenerationis gratiam facti sunt noua creatura in Christo Iesu, uidelicet prauum & tortuosum, prauum quidem, hoc est, malignum, scilicet habitu, tortuosum uerò, hoc est, flexuosum, uidelicet, studio, ut quod ea quæ recta sunt torqueat & incuruet ut minime recta esse uideantur.

Deinde obserua, cuius rei nos admoneat augustus ille titulus, quòd nos qui credimus in Iesum Christum Filij Dei censeamur, segregati à praua & distorta natione, uidelicet, ut summo studio caueamus, ne quid maculæ contrahamus ex improborum consuetudine: unde hic augustus titulus, & adoptio diuina maculari potest. Quare diligenter cauendum est, cum uersamur in tanto periculo ne gratia adoptionis nostra culpa excidamus.

Inter quos lucete tanquam luminaria in mundo.

Alludit Paulus ad dictum Domini. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut Pater uester cœlestis glorificetur. Significat hac metaphora reliquum mundum totum densißimis ignorantiæ & malitiæ tenebris occupari. Vt igitur faces in tenebris splendent, sic pij inter obliquos & tortuosos

tuosos homines, qui meræ tenebræ sunt lucere debent: idq; puritate doctrinæ, confeßione, & conuersatione, seu uita: ut alios sua luce illuminent, quo tandem è tenebris emersi ad lucem Dei ueniant.

Porrò quid lucis uocabulum in scripturis significet ex Antithesi lucis & tenebrarum pulchrè colligi potest, tenebræ in scripturis accipiuntur dupliciter, propriè, & figuratè: quibus ex aduerso respondet lucis seu luminis uox. tenebræ propriè acceptæ, sunt lucis (quæ est qualitas lucida) priuatio. Vt Gene: 1. tenebræ erant super terram & fiat lux, Figuratè tenebræ primum significant erroneam doctrinam quibus opponitur lux quæ est uerbum Dei. Lucerna pedibus meis uerbum tuum & lumen semitis meis. Psal. 119. Secundo, notant tenebræ effectum erroneæ doctrinæ, uidelicet cæcitatem ignorantiam in mente, quibus lux mentis, id est, clara noticia Dei in mente aduersatur. Tertò, tenebræ significant mores malos qui cæcitatem mentis comitantur, quibus lux morum, hoc est, sancta uita opponitur. Sic, inquit Christus, luceat lux uestra coram hominibus, ut homines uideant uestra bona opera. Quartò, tenebræ homines cæcos & flagitiosè uiuentes notant, ut in illo, & tenebræ eam non apprehenderunt: quibus lux opponitur, utpote Christus ipse qui uera lux est, & omnes pij qui

lux dicuntur à Paulo. Quintò, tenebræ regnum diaboli significat, unde Satan princeps tenebrarum dicitur: quibus opponitur lux quo regnum Christi significatur. Hic facilè est uidere, uariare significata nunc per Metaphoram, nunc per Metonymiam, nunc per Metalepsin.

Sermonem uitæ adhibentes.

Ratio cur Apostolus pios luminaria appellauit in mundo, nimirum quia uerbum lucis siue uitæ habent, quod tanquam lucernam admouere seu adhibere uitæ formandæ debent. Dicitur autem Euangelium uerbum uitæ hoc loco, propterea quod uitam nostram dirigere debeat, ne à recto cursu deflectamus, atq; ita in tenebras mortis præcipitemur. Respicit autem Paulus hoc loco ad dictum Dauidis: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Solum enim uerbum Dei iustam ac ueram uiuendi rationem hominibus præscribit, quod tanquam lucernam adhibere debemus, ne in tenebras ruamus. Quid? an non lex norma uitæ est? cur ergo Euangelio tribuis quod est legis? tenendum est discrimen legis & Euangelij quantum ad opera attinet, nam utraq; doctrina obedientiam erga Deum, & dilectionem proximi requirit. Sed in hoc discrimen est. Lex, quas actiones interiores & exteriores Deus requirat, ostendit & simul

indicat nihil placere Deo nisi satisfiat toti legi. Euangelium autem docet quomodo incoari poßit obedientia, & quomodo placeat. Vt enim obedientia inchoatur per spiritum fidei, sine quo ψυχικοὶ homines sumus qui nihil diuinarum rerum percipere possumus: ita placet propter Christum etiamsi normæ legis non satisfiat, atq; adeo hæc obedientia à Paulo fructus iusticiæ fidei appellatur, quia nisi prius obtinuerimus iusticiam per fidem, nihil boni operis quod ualet coram Deo præstare possumus. Quare Paulus rectè iubet adhibere sermonem uitæ, hoc est, Euangelium.

In gloriam mihi, in diem Christi, quod non frustra cucurrerim, nec in uanum laborauerim.

Addit particularem finem. In gloriam, inquit, mihi, id est, ut gloriari poßim in die Christi, quòd uobis non frustra prædicauerim Euangelium. Verbo currendi, significat Apostolus suam in ministerio Euangelij sedulitatem, & industriam: qua uoce illorum oscitantia & pigritia taxatur, qui hoc diuino & augusto officio segniter funguntur: Ex quo fit ut nullum sui laboris seu ocij potius fructum percipiant, cum interim seduli ministri benedictionem Domini sentiant, dum uident ministerium suum multis prodesse ad salu-

tem, unde spem etiam concipiunt, ut cum Paulo *in die* Christi *gloriari poßint. Quod autem ad-dit* In diem Christi *eò pertinet, ut* Philippenses *adeoq; & nos excitet, ad perseuerantiam in pie-tatis cursu per totam uitam.*

Quinetiam si immolor supra ho-stia sacrificioq́ fidei uestræ, gaudeo & congaudebo omnibus uobis ob id ipsum & uos gaudete & congratula-mini mihi.

Quia dubius erat exitus uinculorum Pauli, *hic attexit se libenter mortem obiturum pro defen-sione & confirmatione* Euangelij, *fideq;* Philip-*pensium, qua re magis* Philippenses *stimulat, ut iuxta eam doctrinam, pro qua ipse iam erat para-tus mori, uitam instituant.* Si morior, *inquit,* immolor supra hostia & sacrificio fidei ue-stræ, *hoc est, cum antea uos in hostiam & sacri-ficium* Deo *obtulerim, & fideles in ea prædica-tione effecerim nequaquam moriturus mærore conficior, sed lætor potius, ac una uobiscum gau-deo.* Gaudeo *quidem quia offeror tanquam liba-men additum uobis ueluti hostiæ.* Gratulor *uero quia uos* Euangelio *à me prædicato credentes, non secus atq; sacrificium aliquod* Deo *gratißi-mum obtulerim.*

Respicit

Respicit autem hic Apostolus ad ueterem sacrificandi ritum, qui Symbolum fuit non solum sacrificij Christi, uerumetiam spiritualis sanctorum hostiæ. Vt enim illic erat libamen, hostia, sacerdos offerens. Ita & hic Paulus se σπονδὴν, hoc est, libamentum facit, & sacerdotem qui offerat. Philippenses uero hostiam. Nam eos gladio uerbi Dei mactatos Deo adducit in sacrificium.

Obseruetur igitur hic: Primum, quanta sit dignitas ministrorum uerbi, qui sacerdotes sunt coram Deo ad offerendas illi hostias, non quales sacrificuli in Papatu offerunt, nec quales Aaronici sacerdotes in ueteri lege, sed homines mactatos spirituali gladio, quos in uiuentem hostiam offerunt. Cæterum offerendi ratio in fide consistit, qua mortificati consecramur Deo per Iesum Christum. Monentur præterea hic ministri uerbi, quo affectu esse debeant in suo ministerio, nimirum ut uitæ fortunis, uxoribus, liberis, amicis, adeoq; omnibus in mundo rebus charißimis ac dulcißimis ministerium suum anteponant, ac si mortis periculum eis adire contingat, ut statuant mortem suam ueluti dulcißimam quandam σπονδὴν & Deo gratißimam esse. Est enim imprimis obseruandum quòd Paulus mortem quam pro defensione Euangelij obit, definit σπονδὴν libamen seu sacrificium: quo delectatur Deus. Hinc est quod Dauid

dicit

dicit preciosa in conspectu Domini mors sanctorũ eius: Hinc haud dubie martyres olim in medijs supplicijs se consolabantur. Verum hoc sciendum est quod mors per se non placeat Deo. Sed propter obedientiam, & patientiam in morte, quibus addo euentum, uidelicet, quod mors sit martyrium & testimonium fidei & confeßionis. unde alij animantur ad confeßionem & confirmantur in fide.

QVARTA PARS.

Spero autem in Domino Iesu Christo me breui Timotheum missurum ad uos, ut & ego tranquillo sim animo, cognito statu uestro.

ALteram partem huius capitis aggreditur Apostolus, quam supra totius Epistolæ quartam fecimus. Est autem hæc pars συςαλικὴ, seu demonstratiua, quæ absoluitur laudibus Timothei & Epaphroditi. Hæc commendatio tota cò pertinet, ut Philippenses, hos duos ministros Dei, adeoq; omnes sinceros ministros uerbi in honore habeant, contempta Pseudoapostolorum uana iactantia. Parasceue huius commendationis est, quòd dicat Apostolus se sperare breui missurum Timo=

Timotheum ad ipſos, ut ab eo reuerſo cognoſcat ſtatum Philippenſium, quo cognito tranquilliori ſit animo.

Obſerua itaq; hoc loco ingenium uerè Apoſtolicum eſſe profectu auditorum ſuorum, etiam in medijs ærumnis, reddi animoſiorem & alacriorem. Quod ſanè miniſtris omnibus uerbi in exemplum proponendum eſt.

Neminem enim habeo pari animo præditum, qui adeo ſincere pro uobis ſollicitus ſit.

Ratio cur Timotheum promittit ſe miſſurum ab affectu Timothei erga Philippenſes ſumpta: Et ſimul propoſitionis commendatoriæ inſinuatio una cum ratione à collatione Timothei & aliorum comminiſtrorum uerbi petita. Eſt autem hæc maxima Timothei commendatio quòd reliquis omnibus præferatur, quantum quidem ad ſollicitudinem ſanctam pro Philippenſibus, attinet. Hic ergo Timotheus nobis in exemplum proponatur, ut quemadmodum ipſe fuit: Ita & nos ſimus ſolliciti pro Eccleſijs Chriſti uel remotiſsimè à nobis diſsitis.

Nam omnes quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ ſunt Ieſu Chriſti.

Ætio-

Ætiologia est, collatione, qua præfert Timotheum plerisq; suorum commilitonum, qui propriam quietem sectantes hunc habent scopum, ut in tuto sint ac rebus necessarijs abundantes in pace uiuant.

Hîc primum hyperbole in propositione uniuersali obseruanda est. Solemus enim uniuersaliter (præsertim cum oratio querelam de moribus continet) ea exprimere, quæ ut plurimum ita se habent: Vt nusquam tuta fides: Omnes student auaritiæ &c. Etsi autem plus dicet hyperbole quam res est, tamen eius uerus usus in sacra scriptura est, ut inde ueritas intelligatur cum querela mixta. Deinde obseruandum est, quod quæ Christi sunt quærere & quærere quæ sua sunt, hic ita opponantur, ut simul stare non poßint.

Dicitur autem is, quæ Christi sunt quærere, qui totum suum conatum eò confert, ut Christi gloriam illustret, salutem animarum quærat, non impeditus ulla priuati commodi aut incommodi ratione. Contrà, sua qnærere, is dicitur, qui quidem forte Christum sincere docet, sed maiorem rationem habet sui commodi & suæ quietis quam Euangelij, gloriæ Christi, & salutis animarum. Si itaq; Christus summus scopus fuerit, nihil prohibet etiam sua commoda quærere, modò non negligentior quis ad quærendam Christi

gloriam

gloriam reddatur. Sic pia est cura coniugum & liberorum, modo primum & summum locum occupet cura gloriæ Christi, & pietatis ueræ conseruandæ studium.

Experimentum autem eius nostis quōd ut filius cum patre mecum seruiuit in Euangelio.

Commendatio ab ante actis amplificata comparatione. Obserua Paulum tantum Apostolum non appellare Timotheum iuuenem adhuc, quem ipse in Euangelio instruxerat, seruum aut famulum, sed ipsum filij honore dignatur: Nescit enim superbum Dominum Ecclesia Christi. Deinde appellatione filij indicat Apostolus quo affectu ministri superioris uocationis esse debeant erga suos comministros, utut fuerint gradu uocationis dispares.

Hunc igitur spero me missurum simulatq; uidero rerum mearum statum.

Commendationis conclusio est cum admonitione de tempore, quo ipsum Timotheum mittere decreuerat, nempe cognito rerum suarum statu, qui adhuc incertus erat.

Confido autem in Domino, quod & ipsè cito uenturus sim.

Clausula hac de suo ipsos reditu sperare monet, quod eò spectat, ut eò sanctius uitam suam componant, quo inueniat eos abundare in cognitione & omni sensu, id quod supra ipsis optauit.

Necessarium autem putaui Epaphroditum fratrem & cooperarium & comilitonem meum, uestrum autem Apostolum & ministrum necessitatis meæ mittere ad uos.

Secunda propositio huius partis, cui maxima Epaphroditi commendatio aspergitur. Primum enim Fratrem *ipsum nominat, qua appellatione non tantum affectum suum ergà ipsum declarat: Verumetiam seipsum in ordinem redigit, & Epaphroditum pastorem Philippensium sibi parem facit, quod quidem non tollit gradus Apostolatus & pastoratus, sed magis coniungit superiores & inferiores: ut coniunctis uiribus gloriam Christi per prædicationem Euangelij promoueant. Deinde ipsum* Cooperarium, *id est, collegam fatetur, quantum quidem ad commune ministerium propagandi regni Christi attinet. Tertio*

agnoſcit ipſum Comilitonem ſuum, quo nomine plus quiddam ſignificat, nimirum quod forti & inuicto animo militauerit ſecum pro Chriſti regno dilatando, idq́; contra Pſeudoapoſtolos & mundi rabiem Euangelium perſequentis. Quarto pronunciat illum Apoſtolum Philippenſium, hoc eſt, Parochum ſeu miniſtrum Euangelij apud Philippenſes, Tranſtulit enim nomen ſpeciei ad genus, maioris commendationis ergò. Quinto Miniſtrum neceſsitatis ſuæ ipſum appellat, ut qui ſibi ſubminiſtrarit quibus opus erat, perferens ad ipſum quæ Philippenſes miſerant: Vnde comendatur ab affectu & officio erga Paulum. Sit igitur hic Epaphroditus miniſtris Euangelij propoſitus, tanquam ſpeculum formandæ uitæ in ſuo miniſterio.

Quandoquidem deſiderabat uos omnes uidere & anxius erat propterea quod audiſſetis eum ægrotaſſe, & certo ægrotauit proxime mortem.

Hæc commendatio ſumitur ab effectu Epaphroditi erga ſuos Philippenſes, pro quibus, cum ægrotaret, magis erat quam pro ſeipſo ſollicitus: ne uidelicet ægritudo ipſius Philippenſibus mœrorem adferret.

Exemplum hoc proponatur cùm ipsis ministris Euangelij, *tùm etiam auditoribus, ut hinc etiam admoneantur, quàm solliciti esse debeant pro se inuicem.*

Sed Deus misertus est eius, nec eius solum, sed & mei, ne dolorem haberem super dolorem.

Hic multæ quæstiones se offerunt quarum explicatio in primis utilis est.

Prima quæstio est de dogmate Manicheorum, *qui hanc præsentem uitam, ut malum per se, damnarunt: quorum error hoc* Pauli *testimonio confutatur.* Nam *prorogationem uitæ* Epaphrodoti *inter misericordias* Dei *deputat: Quod, profectò perabsurdum fuisset si hæc præsens uita per se mala esset.* Taceo *promißionem quarto præcepto additam, qua promittitur longæua uita ijs qui maioribus suis debitum præstiterint honorem.*

Quæstio secunda est de ἀπαθείᾳ, *Stoicorum quam etiam hic* Paulus *suo exemplo & testimonio euertit.* Nam *ipse* Apostolus *qui spiritum* Dei *habuit, quo regebatur, nunc lætatur, nunc tristatur.* Huc *accedit quòd nulla omnino laus esset patientiæ* Christianorum, *si omni sensu doloris prorsus carerent, sed edocti uerbo* Dei *dolorem*

mitigant eumq; superant per spiritum sanctum qui ipsis inter precandum uberem consolationem adfert.

Tertia quæstio est quam Ambrosius hoc loco mouet hisce uerbis. Quid ergo est ut præsente Apostolo qui mortuos exuscitabat hic Epaphroditus infirmatur usq; ad mortem? Sed signa infidelium causa fiunt. Nam huic non ad detrimentum contigit ægritudo sed ad augmentum, Probationis enim diuersæ sunt credentium. Alius enim per ægritudinem, Alius amißione charorum, Alius per damnum pecuniæ, Alius per tribulationes probatur, si in neceßitate stabilis inueniatur, auxilium à diuersa parte non quærens. Non ergo contempta est postulatio Apostoli, sed melius prouisum ei pro quo petebat.

Quarta quæstio nascitur ex duobus locis Pauli in speciem pugnantibus. 1.ad Thessal: 4. sic ait Apostolus. Videte ne contristemini pro dormientibus. Hic autem se mærore affici eò quòd Epaphroditus morti fuerit uicinus, testatur, & quod Deus sui sit misertus, illum sanitati restituens. Verum istæ sententiæ nequaquam pugnant. Illic enim immoderatum dolorem adeoq; ethnicum omni spe uacantem prohibet: hic autem de dolore consolatione mixto loquitur: Qualis omnis Christianorum dolor esse debet. Nam ut natura-

le est dolere amißione charorum. Ita pietatis est se Deo subijcere & ex uoluntate Dei ac promißionibus diuinis consolationem petere. Mixtus itaq; sit piorum dolor consolatione & obedientia erga Deum, quæ eos ad patientiam erudiat, cuius patientiæ mater est spes beatæ immortalitatis.

Quinta quæstio, ex dictis Pauli superioribus & ex præsenti loco nascitur. Supra enim dixerat melius esse pijs migrare & esse cum Christo, quàm hic uarijs ærumnis confici. Hic uero ueluti mutata sententia, mœroris materiam sumit à morbo pij hominis, quem non dubitauit è miserijs præsentibus per mortem migraturum in regnum Christi, sed Paulus hic Ecclesiæ ædificationem spectauit, cui perutilem ministrum fuisse Epaphroditum minimè ignorauit: Quare & pijs merito dolendum est, quando è medio pij & sinceri ministri tolluntur.

Sexta quæstio: Si Deus mortis horam unicuiq; præsignauit. An non Deo resistere uidetur is qui tristatur ob alicuius mortem: Nam uoluntas ipsius uoluntati Dei repugnare uidetur. Facilis est Solutio, Aliud est enim dolere & frenare dolorem nostrum, ut subijciamus nos uoluntati Dei. Aliud est fremere aduersus Deum, & indignari & ex doloris magnitudine prorumpere in contumeliam Dei.

Septima quæstio oritur ex Antilogia huius loci & eius qui est Iob 14. Constituisti terminos hominis qui præteriri non poterunt. Verum huius quæstionis solutio legatur in Enchiridio nostro in expositione quarti præcepti.

Studiosius igitur misi ipsum, ut cum uideritis ipsum rursus, gaudeatis, & ego magis uacem dolore.

Conclusio amplicatà à finibus mißi Epaphroditi ad Philippenses. Est autem hic uerborum sensus. Maiori cura Epaphroditum misi ut cum primum eum uideritis reuersum (quem uos nunquam uisuros putabatis) lætemini.

Excipite igitur ipsum in Domino cum omni gaudio, & tales in precio habete.

Illatio exhortationis, ut Philippenses Epaphroditum excipant in domino, id est, tanquam Domini legatum & nuncium, & in precio habeant non solum ipsum, uerumetiam alios, pui simili diligentia in negocio Euangelij uersentur. Obseruemus quo in loco habendi sunt sinceri Euangelij ministri ab auditoribus. Nam si legati

principum huius mundi, sacrosancti censentur, ut quos sine inexpiabili scelere uiolare nemini prorsus liceat. Si scelus sempiternum putatur esse insidiari legatis ab hominibus missis, Quid dicemus de ijs qui uiolant legatos Dei? quibus pœnis expiabitur tantum scelus? præsertim cum isti Dei legati annuncient bona, prædicent pacem, inuitent uerbis Dei ad perpetuum fœdus ferendum cum Domino dominantium, rege regum, cuius fœderis fructus uberrimus ad nos redit, uidelicet, immortalitatis & gloria & æternæ uitæ fruitio. Hæc tanta dignitas etiam ministros uerbi commonefacere deberet, ne se ipsos malis moribus, & scurrilitate odibiles reddant.

Quia propter opus Domini usque ad mortem appropinquauit, non habita ratione uitæ, ut suppleret defectum uestri erga me officij.

Causam morbi Epaphroditi insinuat fuisse longam illam profectionem, quam susceperat à Philippis Romam uersus, ut Paulo in uinculis ministraret. Hic obserua quod opus Christi uocat Christum in persona Pauli uinctum & egentem iuuisse & coràm subleuare. Huc illuc, quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Qui igitur opem ferunt laborantibus seruis Domini, sciant

se Deo

ſe Deo gratißimum opus facere, adeoq; ipſi Chriſto ſeruire. Contrà uerò qui miniſtros Dei premunt, & iniuria afficiunt, quiq; manus auxiliatrices indigentibus ſubtrahunt, opus diaboli faciant, adeoq; ipſi diabolo ſeruiant.

Quod conuerti cum Eraſmo. Non habita ratione uitæ, grecè legitur παραβουλευσάμενος τῇ ψυχῇ. Nam παραβουλεύεσθαι ſignificat perperam conſulere, uti faciunt qui ſe in apertum uitæ periculum conijciunt, ſed hoc tamen facere in loco pro Chriſto non eſt ſtultitiæ aut imprudentiæ, ſed uerè cœleſtis ſapientiæ, quam in Epaphrodito commendat Apoſtolus: qui uitæ periculum adijt, ut defectum Philippenſium suppleret erga Paulum. Hoc igitur permultum ad commendationem Epaphroditi facit, ut qui tantum laborem ſubire uoluerit, quo Philippenſium uice fungeretur in miniſtrando Paulo. Admoneantur & hic auditores uerbi officij ſui erga laborantes miniſtros. Si enim liberi debent parentibus obſequia neceſſaria, profectò pij agnoſcent ſe non parum ſinceris uerbi iminiſtris debere, per quorum prædicationem regeniti ſunt & adoptati in Filios Dei.

CAPVT TERTIVM.

SVMMA CAPITIS TERTII.

VT Philippenſes caueant ſibi à Pſeudoapoſtolorum inſidijs & fiducia carnis, monet Apoſtolus ſe ſtatuens uiuum iuſticiæ ueræ & pietatis exemplar, quod ut imitentur Philippenſes hortatur.

ORDO ET PARTES HVIVS CAPITIS.

HVius tertij capitis tres partes ſunt. Harum prima eſt ἀποτρεπτικὴ, Monet enim ut Philippenſes ſibi caueant à corruptoribus ueræ doctrinæ, præſertim ab ijs qui Iudaiſmum ſapientes circumciſioni & legali iuſticiæ non parum tribuebant.

Secunda pars eſt demonſtratio. Nam Apoſtolus ſeipſum in medium proponit, & ſuo exemplo docet ad perfectionem nihil extra Chriſtum quærendum eſſe.

Tertia pars eſt exhortatio. Nam poſtquam ſe iuſticiæ & ueræ pietatis exemplar propoſuit, Philip-

Philippenſes ad ueram pietatem hortatur. In harum partium explicatione multi inſignes loci aſperguntur, ut de uero piorum gaudio. De Circumciſione legali. De diſcrimine iuſticiæ legis & Euangelij. De efficacia mortis & reſurrectionis Chriſti. De perfectione Chriſtiana. De aduentu Chriſti ad iudicium. De glorificatione corporum poſt reſurrectionem.

EXEGESIS CAPITIS TERTII CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

Quod reliquum eſt fratres mei gaudete in Domino.

ALtiſsimum ſequentis exhortationis fundamentum iacit Apoſtolus, cum iubet gaudere in Domino, Qui enim in Domino ueré gaudent, facile contemnunt falſos doctores, atq; adeo omnem gloriam carnis negligunt, Eſt autem ingegenium falſorum doctorum uanam mundi gloriam quærere, ut homines ſe ſuſpiciant, ac tanquam de patribus ac doctoribus de ipſis gaudeant: parum admodum aut nihil de gloria Chriſti & ſalute animarum ſolliciti. Quare Paulus Philippenſes ad Dominum reuocat, in quo ſolo gaudendum & gloriandum eſſe monet. Dicitur autem is recté in

ctè in Domino gaudere, qui illum salutis suæ autorem agnoscit retinens fidem & bonam conscientiam.

Eadem scribere uobis me quidem haud piget, uobis autem tutum est.

Interponuntur hæc per prolepsin, poterant enim obijcere Philippenses, Sæpius tu Paule hæc præsens nobis inculcasti. Quare nec eadem iterando fatigandus es, nec uos eadem audiendo grauandi sumus. Respondet Apostolus, nequaquam sibi molestum esse eadem sæpius inculcare, nec illis inutile fore eadem sæpius audire. Hinc discant ministri Euangelij utiles doctrinas & exhortationes subinde repetere, atq; suis auditoribus inculcare. Discant & auditores sibi perutile esse eadem sæpenumero audire, quò altiores radices in cordibus eorum doctrina & eius accommodatio agat.

QVINTA PARS.

Cauete canes, cauete malos operarios cauete concisionem.

PRopositio exhortationis, cuius hic est sensus: Cauete omnem ueræ doctrinæ corruptelam

&

& omnes falsos doctores. Vtitur autem hic Apostolus tribus uocabulis, quibus falsorum doctorum ingenium graphicè depingit. Primum enim uocat eos canes, hoc est mordaces, ueritatis luci obstrepentes, & impudentius oblatrantes: curam uentris potius quam mentis, inanis gloriæ potius quam Christi, gerentes. Deinde uocat eos operarios, sed malos, indicans duo operariorum genera esse in uinea Domini: quorum quidam mali sunt, quos ociosos esse præstaret, destruunt enim uineam Domini: Quidam boni qui doctrina sincera & uitæ innocentia ædificant. Concisionem uocat Iudæos qui cùm circumcisionem mordicus tanquam necessariam ad salutem retinuerunt, ueram Ecclesiam Dei dilacerarunt. Vtitur autem abstractis pro concretis propter circumcisionis & concisionis προσονομασίαν. Est autem concisio κατατομὴ sectio nocens & destruens (Danicè **vonſkårelſe**) κατὰ enim in hac compositione destructionem significat, Euertitur hoc Pauli dicto Papisticum dogma, quo adimitur laicis, ut uocant, iudicium de doctrina, quod iudicium spiritus sanctus non solum permittit, sed etiam committit & commendat omnibus pijs, & nota est Christi sententia. Cauete à falsis doctoribus.

Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu

ſpiritu Deum colimus, & gloriamur in Chriſto Ieſu, & non in carnem fiduciam habentes.

Ratio propoſitionis à definitione ueræ circumciſionis quæ coram Deo ualet, ſumpta, ac ſi diceret: Iſti iactant circumciſionem carnalem, quæ Chriſti aduentu abrogata eſt, ſed nos circumciſionem ſpiritus habemus, Dum ergo illi umbris detinentur, nos ueritate fruimur.

Obſeruanda eſt hoc loco definitio ſpiritualis circumciſionis, quòd ſit amputatio fiduciæ carnis & gloriatio in Chriſto, per quem Deo ſpiritualem cultum reddimus. Gloriari in Chriſto & totius ſalutis fiduciam in uno Chriſto collocare, fiduciam in carne habere, eſt in aliam quamlibet rem collocare fiduciam, quàm in unum Chriſtum. Caro enim hic ſignificat quicquid extra Chriſtum eſt, adeoq; ipſam circumciſionem carnalem, quæ Chriſto exhibito abolita eſt.

Obſeruanda quoq; hîc eſt Antitheſis, quòd qui ſpiritu Deum non colunt, nequaquam gloriari poßint in Chriſto: & quòd quicunq; habent fiduciam in carne deflectant à uera ſalutis uia in damnationis præcipitium.

Quan-

Quanquam & ego habeam fiduciam in carne, si quisquam alius uidetur fiduciam habere in carne, ego magis habeo.

Vt retundat concisionis arrogantiam collationem addit: & se confert cum illis qui gloriabantur de prærogatiuis gentis Iudaicæ, ac si diceret non minorem gloriationis materiam habeo, quàm isti. Imò in multis illis superior sum, loquitur autem hîc Paulus de materia gloriationis coram hominibus, non de effectu, quemadmodum mox declarabitur.

Circumcisus octauo die.

Scilicet iuxta legem qua ratione se præfert proselitis.

Ex genere Israël.

Id est, ex semine Iacob Patriarchæ cuius tota posteritas populus Dei habebatur.

E tribu Beniamin.

Tribus meminit maioris certitudinis caussa.

Hebræus ex Hebræis.

Hoc

Hoc dicto significat semen defecisse à sua gente ad gentilismum, ut multi fecerunt ortis persecutionibus à uicinis populis.

Secundum legem Pharisæus.

Iam de uitæ genere & studio agit, fuerunt autem Pharisæi præcipui inter alios sectarios. Scripturæ enim interpretes fuêre, quàm suis corruptelis deprauarunt. Iuxta legem, inquit, hoc est, iuxta præscriptum seu ordinatum à Pharisæis religionis institutum, seu iuxta ordinem & regulam Pharisæorum. Respicit enim Paulus ad uocabulum Thora, quod interdum ordinationem & constitutionem notat. Nam lex Dei nihil omnino præcipit de Pharisæorum secta, quæ sub Pontificatu Ionathæ primum incœpit.

Iuxta zelum persequens Ecclesiam.

Hoc additur ut ostendat quanto studio & ardore suum Pharisaismum propagare studuerit. Nam cum uideret Ecclesiam Dei penitus abhorrere à Pharisaismo, eumq; omnino damnare, nihil non periculi adijt, ut Ecclesiæ nomen aboleret, atque ita suus Pharisaismus magis propagaretur.

Secundum iusticiam quæ est in lege, factus irreprehensibilis.

Hoc respectu hominum intelligendum est, quorum iudicio satisfacit externa disciplina. Est profectò magna laus quòd ita uitam totam instituerit Apostolus, ut nihil querelæ dignum admiserit. Non autem hic loquitur de iudicio Dei, cui mortalium nullus ita satisfacere potest, ut propter suam obedientiam perfectam & plenam, habeatur coram Deo perfectè iustus seu irreprehensibilis. Obseruetur ergo hoc loco quòd iusticia legis sit duplex. Spiritualis una, altera literalis. Spiritualis est perfectus amor Dei & proximi, hæc nunquam in ullius uita extitit, excipio unum Christum. Literalis est quæ in hominum conspectu apparet, cum interim hypocrisis regnet in corde, & coram Deo nihil sit quam iniquitas. Proinde qui ex hoc loco Pauli concludit legem Dei ab homine impleri posse, cœlum terræ miscet, & non satis perpendit in quem finem hæc à Paulo dicantur.

Verum quæ erant mihi lucra, ea existimaui propter Christum iacturam esse.

Omnia quæ sequuntur ad finem capitis in hunc Syllogismum conijci possunt: Boni discipuli

magistrum suum imitari debent. Ego magister uester omni carnis fiducia abiecta in solo Christo acquiesco, igitur & uos fiduciam carnis abijcite, ac in solo Christo acquiescite, cauentes sacræ doctrinæ corruptelas. Minorem per collationem ponit: Confert enim totam carnis fiduciam cum Christo: quem adeò præfert uniuersæ gloriæ carnis, ut pro iactura habeat, quicquid sit extra Christum. Quæ erant, inquit, mihi, scilicet ante cognitionem Christi. lucra, hoc est, quæ in me fiduciam carnis & propriæ iusticiæ alebant, ea, cognito Christo pro iactura habui, quia me à Christo remorabantur. Donec enim homo quicquam sibi, suisq; dotibus aut operibus tribuit, Christi particeps esse nequit. Oportet enim nos nudos tanquam è naufragio enatantes ad ipsum uenire. Hic ergo destruitur opinio Papistarum de operibus præparantibus, & de merito congrui.

Quin etiam omnia existimo iacturam esse propter eminentiam Christi Domini mei.

Etsi eandem sententiam repetit, singularis tamen Emphasis in duabus uocibus consideranda est. Nam, cum hîc dicit in præsenti quod supra dixit in præterito, significat se constantem manere in suo proposito, & ex animo omnis carnis fiduciam

ciam postponere Christo. Destruitur igitur & euertitur hoc dicto dogma iusticiariorum de operibus consumantibus seu perficientibus iusticiam. Quod autem addit, propter eminentiam Iesu Christi, significat neminem uerè Christum posse cognoscere donec propria iusticia fuerit inflatus.

Est autem cognitio Christi sita in duabus, uidelicet, in noticia & fiducia. Noticia, personæ unitatem, naturarum diuinæ & humanæ admirandam unionem, & officium redemptionis complectitur. Fiducia autem beneficia oblata apprehendit, ac in Christi gratia acquiescit. Proinde cognitionis uoce solida fides Christi ex concepta noticia intelligitur. Domini mei, dicit, quia soli credentes in Christo Domino gloriari possunt.

Propter quem omnium iacturam feci, & existimo reiectamenta esse ut Christum lucrifaciam.

Tertio repetit eandem sententiam nō sine singulari Emphasi. Dicit enim se non solum omnium iacturam fecisse propter Christum, uerumetiam omnem carnis fiduciam tanquam rem abominandam abiecisse, ut Christum lucrifaceret, hoc est, ut Christum solum iustificatorem & saluatorem obtineret. Rursum igitur monemur omnem carnis adeoq; iusticiæ propriæ fiduciam abijciendam

esse, tanquam rem indignam oculis, modo Christi participes esse uelimus, uerißimè enim ab Ambrosio dictum est. Gratia Dei aut tota recipitur, aut tota abijcitur, Et Augustinus: Gratia est nullo modo quæ non est gratuita omni modo. Vocabulum σκύβαλα usurpauit Apostolus, quo nihil potuit contemptius significari. Est enim σκύβαλον res fœda indigna oculis hominum, sed canibus proijcienda potius. Hinc apparet quæ sit laus bonorum operum coram Deo ante iustificationem gratuitam, præsertim cum homines fiduciam in illis collocant. Quare nequaquam dictum Apostoli uult, ut uirtutes quas requirit lex, abijciamus, sed tantum contra fiduciam carnis insurgit, quæ impedit quò minus ad Christum peruenire poßimus.

Et reperiar in ipso, non habens meam iusticiam quæ est ex lege, sed eam quæ est per fidem Christi, iusticiam quæ est ex Deo per fidem.

Exponit quis sit efficacis cognitionis Christi fructus, nempe iusticia noua, quæ est, ex fide Iesu Christi, hoc est, quæ imputatur credenti in Christum.

Hic primum obseruetur antithesis duplicis iusticiæ, quædam enim hominis propria dicitur, quæ est ex lege: Quædā Dei iusticia quæ fide obtinetur.

netur. Hanc cum illa simul statui non posse clarissimè euincit hic Pauli locus. Qui enim nititur iusticia propria, iusticiæ fidei expers est, et qui nititur iusticia fidei, agnoscit se nullam propriā iusticiam qua consistere potest coram Deo, habere. Quare diligenter cauendum est, ne has iusticiæ formas confundamus: quarum confusio semper maximas in Ecclesia turbas & dißidia mouit. Quidam enim cum audiunt simul stare non posse has duas iusticiæ formas, mox existimant licentiam datam carni, ut se prostituat liberè ad omnem turpitudinem, gloriantur de Christo, clamant ablatam esse maledictionem legis, iactant fidem, cumulant plurima testimonia scripturæ, quibus ad seipsos inescandos abutūtur, qui liberius in omni flagitiorum genere uolutentur, non obseruantes Paulum hic & in similibus locis nequaquam substantiam, sed fiduciam operum & proprij meriti oppugnare, quo solius Dei gloria emineat. Non uult ergo Apostolus ut honestatis, iusticiæ, castitatis, beneficentiæ, cæterorumq; fructuum, spiritus & fidei studium abijciamus, sed ut fiduciam seu qualitatem quam operibus sophistæ attribuunt, procul à conspectu remoueamus.

Rursus sunt qui ex utraq; iusticia, nempe operum & fidei unam componunt iusticiam, qua homines coram Deo iustificari contendunt. Horum error non solum hoc Pauli testimonio refellitur.

Verumetiam, multis alijs scripturæ testimonijs refutatur, adeò ut hanc connexionem ruinæ & reiectionis Iudæorum causam Apostolus statuat, cum ita inquit ad Rom: 10. Ignorantes Dei iusticiam, et propriam iusticiam quærentes statuere, iusticiæ Dei nō fuerunt subiecti. Quisquis ergo fidit propriæ iusticiæ, iusticia Dei quæ est ex fide excidit. Quare diligenter discernamus inter legalem & Euangelicam iusticiam.

Primum itaq; differunt causis efficientibus. Illa enim hominis propria, ut quæ in operum legis obedientia consistit: hæc autem Dei dicitur, Nam ipse et eam pro iusticia imputat credenti, & eandem approbat.

Secundo differunt genere. Nam legis iusticia est formalis obedientia hominis erga legem. Fidei uero imputatiua dicitur, ut enim fundamentum iusticiæ hominis opus est iuxta rationem legis factum, Ita obodientia Christi formalis nobis ascribitur, Dum in ipsum credimus non enim aliter nos iusti sumus quàm Christus fuit peccator. Hic autē ut non fuit peccator qualitate, sed imputatione nostri peccati reus fuit: ita nos non sumus iusti qualitate sed imputatione iusticiæ Christi accepti sumus, definitur itaq; rectè iusticia Christiana esse credentis personæ absolutio à peccato, imputatio iusticiæ Christi, & acceptatio ad uitam æternam gratis propter Christum, pro nostro enim reatu

cui

cui debebatur pœna ſatisfactum eſt per uictimam expiatricem Chriſti: noſtrum defectum ſupplet perfectio Chriſti, hoc eſt, legis perfecta obedientia in Chriſto quæ nobis credentibus imputatur: ut ita expiato peccato & imputata nobis Chriſti obedientia iuſti ſimus & acceptemur à Deo per Ieſum Chriſtum mediatorem ad uitam æternam. Hanc iuſticiam tantiſper poßidet homo, donec retinet fidem & bonam conſcientiam, ut enim fides accipit iuſticiam per Euangelium oblatam, ita bona conſcientia fidei cuſtos eſt, qua amiſſa naufragium fidei committitur, ex quo apparet quàm neceſſaria ſit noua obedientia in conuerſis.

Tertiò, iuſticia legalis homini in hac uita plane eſt impoßibilis, ut quæ hominis conatum requirit, quo ſatisfiat legi Dei. Iuſticia Euãgelij donum eſt quod Deus largitur ex mera gratia omnibus credentibus.

Quartò, Iuſticiæ legalis fiducia parit hypocriſin & carnalem confidentiam, At fiducia iuſticiæ Euangelij parit humilitatem ueram & multiplices fructus internos & externos producit.

Quinto, Iuſticia legalis homini uano, at iuſticia fidei ſoli Deo gloriã tribuit per Ieſum Chriſtum.

Sexta, fiducia iuſticiæ legis hominum damnationi ſubijcit, ut quæ reiectionis eius cauſa exiſtat, Sed fidei iuſticia à damnatione hominem reddit ſecurum, nulla enim eſt condemnatio ijs qui ſunt in

Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum, Rom. 8.

Vt cognoscam eum, & potentiam resurrectionis & communionem afflictionum eius.

Qualis sit fidei natura explicat tria ei attribuens, uidelicet cognitionem Christi, cum qua coniuncta est fiducia: cognitionem potentiæ resurrectionis eius, fide enim in Christũ uim resurrectionis ipsius in nobis sentimus, idq́; non solum quòd ipsius efficatia in nouam uitam reformamur ac ueluti resurgimus, uerumetiam quod certo expectamus nos per eandem resurrecturos: & cognitionẽ cõmunionis afflictionum eius, qua scilicet nos reddimur participes afflictionum Christi, quemadmodum enim ille, ita & nos in hoc mundo uarias experiamur afflictiones. Obseruemus igitur hoc loco quales piorum meditationes et studia esse debeant. Huc illud Pauli ad Timotheum. Memento Iesum Christum resurrexisse à mortuis.

Conformis factus morti eius, si quomodo pertingam ad resurrectionem mortuorum.

Quo pertineant præsentes Ecclesiæ afflictiones ostendit: nimirum, ut Christum sequamur in cruce donec pertingamus ad resurrectionem mortuorum, ut enim à morte ad resurrectionem Christus

ſtus Dominus peruenit: Ita nos quoq; ex uarijs afflictionibus tandem ad gloriã immortalitatis perueniemus. Conformitas mortis Christi consistit in mortificatione carnis & externi hominis, hoc est, in uera contritione & tollerantia crucis. Quod autem addit, Si quomodo, non est dubitantis sed anhelantis ad metam. Significat igitur Apostolus difficultatem sequendi Christum, ut in Philippensibus studium acrius excitet. Nemo enim coronatur, nisi qui legitimè certauerit.

Non quod iam apprehenderim aut perfectus sim, sed sector si etiam apprehendam, quatenus & apprehensus sum â Iesu Christo.

Vt ad perseuerantiam & serium studium pergendi in pietatis stadio excitet Philippenses, se adhuc in cursu esse indicat. Dixerat se fide eò tendere, ut cognoscat Christum, ut uim resurrectionis & cõmunionem paßionum eius percipiat, in eodem cursu se adhuc esse fatetur, & anhelare ut aliquando ad scopum perueniat. Quod autem addit quatenus apprehensus sum, eò pertinet ut totum salutis beneficium gratiæ tribuatur. Vult igitur Apostolus eos qui huius gratiæ Christi facti sunt participes, nõ ocio torpore, sed toto nisu incumbere, ut apprehenso Christo pergant, donec ad metam perueniant. Hic locus obseruandus est,

contra sanctulos quosdam, qui cum uix micam fidei habeant, sed tamen iam ad dexteram Christi in cœlestibus sedere gloriantur. De perfectione paulo pòst dicemus. Fratres ego meipsum nondum arbitror assequutum esse. *Attentio est cum repetitione eiusdem sententiæ, & monet suo exemplo Philippenses, ut in principio cursus non torpeant, sed perpetuo progrediantur, donec ad metam peruenerint.*

Vnum autem (*ago*) ea quidem quæ à tergo sunt obliuiscens, ad ea uero quæ à fronte sunt enitens, secundum scopum sequor ad palmam supernæ uocationis Dei per Iesum Christum.

Quod simpliciter dixit, nunc allegoricè repetit. Est autem hic sensus. Quemadmodum cursores qui in stadio currunt, non respectant à tergo, sed feruntur pleno impetu: Ita ego proposita palma supernæ uocationis, id est, cœlestis beatitudinis, non sino me ullis mundanis auocamentis retrahi à cursu, sed recta pergo donec ad præfixum scopum perueniam. Hoc *Apostoli exẽplum omnibus pijs merito proponendum est, ut cogitent nõ torpore, non segnicie, non uoluptatibus, non iactantia inanis fidei, sed strenuo in pietate cursu properandum esse ad præfixum beatitudinis scopum. Etsi autem gloria cœlestis gratuitum est Dei do-*

num

num, tamen ad eam fidei ueris exercitijs perpetuo contendendum est. Atq; ideo adiecit, Per Iesum Christum, ut in ipsum solum in toto cursu recumbamus.

Quotquot igitur perfecti sumus hoc sentiamus.

Transfert hypothesin ad thesin seu suum exemplum ad catholicam doctrinam. Quod enim de se dixit, ad omnes pios accõmodat, nimirum ut omnes exclusa carnis fiducia, & fide iustificati cognoscant Christum, sentiant uim resurrectionis ac communionis afflictionum eius, atq; ita in cursu pergant indefeßè, Donec ad metam perueniãt per Iesum Christum. Potest autem ex collatione huius dicti & superioris colligi definitio perfectionis Christianæ, uidelicet, quod sit fiducia in Christum & uiua cognitio et sensus mortis et resurrectionis Domini, cum firmo proposito in pietatis stadio indefeßè currendi donec ad metam usq; peruentũ fuerit. Seu ut clarius dicam. Perfectio Christiana est ex fide Christi obedientiam erga Deum omnib. rebus alijs anteferre, h.ẽ, ut iustificati fide puro colendi Deũ affectu dicamur, ut simplici integritate præditi testari poßumus, nos hoc præcipuè in uotis habere, ut omnẽ nostrã uitã Deo approbemus sani fide dilectione et patientia. Hæc perfectio nõ gradibus cõsumatur in hoc mundo, sed substãtiæ tantũ respectu dicitur perfectio perficienda gradibus in

futura

futura uita. Hinc iam facile conciliatur ſuperius dictum, & hæc ſententia, ſupra dixit, non quòd perfectus ſim, hic autem, quotquot perfecti ſumus. Paulus enim perfectus eſt ſubſtantia, non perfectus ſi gradus ſpectes.

Et ſi quid aliter ſentitis & hoc Deus uobis reuelabit.

Hoc eſt, ſi qui inter uos ſecus perſuaſi ſunt à Pſeudoapoſtolis qui ad perfectionem Chriſtianam requirunt etiam umbras Moſaicas, ut circumciſionem & alios ritus, Deus aliquando et illos in uiam reuocabit, ut agnito errore idem nobiſcum ſentiant. Monet igitur Paulus hoc loco quomodo agendum ſit cum ijs, quibus nondum ſatis illuxit Euangelij puritas, qui docendi quidem ſunt, ſed interim locus eſt dandus reuelationi diuinæ, qua Deus per uerbum & ſuum ſanctum ſpiritum corda hominum in rectam uiam flectit, perſuadendo efficaciter ijs de ueritate uerbi ſui, Vt enim omnia habent incrementa ſua, ſuumq; tempus: Ita & Dei cognitio incrementum ſumit in nobis indies, modo ipſi non fuerimus in culpa, reſiſtendo ſpiritui ſancto, qui iuxta ordinationem Dei in uerbo prædicato & cogitato uult eſſe efficax.

Veruntamen in eo ad quod peruenimus eadem incedamusregula, idem ſentiamus.

Exhor=

Exhortatio est, ut unanimes in doctrinæ & uitæ puritate pergamus, etiamsi non omnes æquè multum promouisse in cursu uideamur. Diligenter obseruandus est hic locus qui monet, ne uel ipsi despondeamus animum si nondum ad summum peruenimus, uel alios qui tardiores & imperfectiores esse uidentur, præ nobis contemnamus. Deinde obseruanda est metaphora sumpta ab ordine militari. Nam στοιχεῖν *dicuntur milites, cum in acie singuli ut ordinati sunt, manent, & recta serie progrediuntur, nec in dextrum nec in sinistrum declinantes, sed locum fortiter defendentes. Vt igitur illi suam militarem regulam habent, quam turbare turpe est, ita & Christianos decet, ut strenuorum militum exemplo sub uexillis Christi fortiter suum quisq; locum tueantur, & iuxta regulam eandem, quam omnibus suis communem præscripsit Dominus in fide, dilectione et patientia cæterisq; uirtutibus progrediantur, donec lætam per Christum reportauerint uictoriam. Non uult igitur Apostolus, ut nouum doctrinæ genus, aut nouas uiuendi regulas excogitemus, sed ut regulam fidei & uitæ quam præscribit nobis Euangelium sequamur.*

Estote pariter imitatores mei fratres, & considerate eos qui sic ambulant, quemadmodũ habetis nos typũ.

Hortatur Apostolus, ut se exemplum sibi proponant Philippenses. Est enim hoc uerè doctorem Ecclesiæ agere, alijs doctrinæ puritate & uitæ innocentia præire, ut sit typus iuxta quem auditores tutò suam uitam & mores componere poßint.

Hic tria genera ministrorum uerbi impingũt. Primum, eorum qui rectè quidem docent, sed parum honestis præditi sunt moribus. Hi quod uerbis ædificant, Moribus destruunt. Secundum eorum est qui uitam quidem coram oculis hominum innocentem degunt, sed doctrina est erronea & corrupta malis opinionibus. hi quod uita extruere uidentur, doctrina euertunt. Tertium eorum est, qui non solum falsa & erronea docent, uerũetiam scelerate uiuunt, hi uastant Ecclesiam utroq; modo, et manifesta sunt Satanæ mancipia, ad perdendas hominum animas conducta. Caueamus ergo ne in ipsis ministrorũ tribus generibus reperiamur, sed potius studeamus exemplo Pauli illorum ascribi numero, qui rectè & sincerè docent, moribus, dictis, factis, adeoq; tota uita doctrinam exprimentes, hos uult Apostolus, ut Philippenses considerent, ac erorum uestigijs insistant.

Multi enim ambulant, quos sæpe dixi uobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorũ Deus uenter, & gloria in dedecore ipsorũ qui terrena sapiũt.

Ratio est cur uelit Philippenses se imitari, à contrario exemplo sumpta, & à salutis periculo. Interponit autem Pseudoapostolorum sui temporis breuem descriptionem, ut & agnosci & melius caueri possint. Primum enim uocat eos inimicos crucis Christi, cum quia puritatem Euangelij & beneficia redemptionis, hoc est, crucis Christi obscurabant, Imò abolebant, eò quòd circumcisionem & ritus legis Moysaicæ tanquam necessarios ad salutem falsò prædicabant, tùm quia crucem & persecutionem pro Christi Euangelio purè prædicando refugiebant, sui priuati commodi gratia. Proinde, inimici crucis Christi, sunt non solum qui unico Christo atq; eius λύτρῳ, non tribuunt plenum (concepta in ipsum fiducia) redemptionis honorem, uerum etiam qui affectibus hominum se accommodantes crucem refugiunt, suiq; uentris propriæq; quietis curam habent, potius quam salutis animarum, atq; ea de causa addit, Quorum Deus uenter est. Dicuntur autem Deum habere uentrem, quicunque hunc scopum habent suarum actionum, quòd suis commoditatibus, uidelicet, ut tranquillè uiuant, consulant potius suæ quam Christi gloriæ, nihil de exitu cogitantes, quem hîc Paulus apponit, inquiens. Quorum finis est perditio. Hoc ideo adiecit Apostolus, ut proposito hoc periculo Philippenses ab istorum uanitate absterreat, & animet eos

net eos ad gnauiter faciendum officium in timore Domini.

Præterea subiungit Apostolus. Et gloria eorum cum dedecore, (seu confusione, *ut habet uetus interpres.*) *Hoc etiam ad pœnam spectat eorum, qui hic gloriam suam & non Dei quærunt. Quicunq; ergo in carne confidunt uanam gloriam mundanæ umbram sectantes, tandem iustißimam mercedem, ignominiam & confusionem reportabunt, idq́; in conscientia primum, Deinde in extremo die quando pudefient omnes qui Christo suum integrum honorem non tribuerunt, quiq; propter fauorem hominum & inanem gloriolam orationem suam flexerunt ad affectus hominum, horum gloria tum uertetur in sempiternam confusionem. Postremo Apostolus una uoce qualesnam sint inimici isti crucis exprimit. Qui inquit,* terrena sapiunt, *hoc est, qui nihil sapiunt rerum cœlestium, sed solummodo in rebus carnalibus occupantur. Atq; ita hic graphicè depingit Apostolus eos quos supra canes, malos operarios, concisionem, & fiduciam in carne habentes, uocauit.*

At nostra conuersatio est in cœlis, unde saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum,

Anti=

Antithesis est, qua discernit inter falsos doctores & ueros: inter falsos Christianos & sinceros. Illi terrena sapiunt, terrenam tranquillitatem sibi tanquam metam ante oculos habentes. Hi autem tametsi corporibus in terris uiuunt, affectibus tamen in politia cœlesti uersantur, leuatis animis ad CHRISTVM *Dominum sedentem ad dexteram Patris, unde & expectant ipsum Saluatorem. Etsi autem ubique est Iesus Christus saluator noster per id quod Deus est (ut inquit Augustinus) tamen in cœlo est per id quod homo, quemadmodum articulus de Ascensione Domini, & aduentu eiusdem ad Iudicium apertè docet. Vult ergo Paulus, ut semper cordibus nostris ascendamus in cœlum, & fide contemplemur nostrum saluatorem* IESVM CHRISTVM, *ad quem animabus migrare omni hora cupiamus, exemplo Pauli dicentis. Cupio migrare & esse cum Christo.*

Qui transformabit corpus nostræ humilitatis, ut ipsum sit conforme corpori gloriæ eius, secundum efficaciam, qua potest ipse etiam sibi subijcere omnia.

Quidnam faciet Saluator ubi dduenerit,

ostendit, Transformabit, *inquit*, corpus no-strae humilitatis, *id est, hoc nostrum humile & uile corpus*, ut sit conforme corpori ipsius glorioso, idq; secundum eam efficaciam, qua potest sibi subijcere omnia.

Hic quatuor obseruentur. Primum, de transformatione corporum. Secundum, quòd eorundem corporum quæ hic habemus, sit futura transformatio. Tertium, de modo transformationis. Quartum, de huius transformationis causa & uirtute.

Transformatio consistit in eo, ut corpus hoc corruptibile fiat incorruptibile : mortale, fiat immortale : infirmum, fiat sanum, & integrum: humile & contemtibile, fiat gloriosum : animale, fiat spirituale, sicut Paulus docet 1. *Corinth*.15.

Deinde eorundem corporum erit transformatio, non aliorum: quemadmodum Iob testatur, & se in medijs ærumnis, cum ipsius corpus scatebat uermibus, spe huius transformationis consolatur. Ita enim ait : Scio quod REDEMTOR *meus uiuit, & in extremo die resurrecturus sum. Nam ut Christus eodem corpore surrexit, quod habuit dum inter homines ut homo uersaretur, Ita nos ijsdem corporibus resurgemus, ut eadem*

corpora, quæ hic cum Christo crucifixa sunt, unà cum Christo in cœlesti beatitudine glorificentur.

Porrò hæc transformatio huiusmodi erit, ut corpus nostrum reddatur σύμμορφον, id est, conforme glorioso corpori Christi, hoc est, ut æquale corpus Christi iam est post resurrectionem ipsius, talia quoq; nostra sint futura in æterna uita.

Cæterum quia ratio nostra hoc mysterium capere nequit, uidelicet, quomodo mortuorum corpora, quorum quædam igni consumta sunt, alia submersa, alia à bestijs comesta, alia alio modo corrupta ac perdita, poßint resurgere, remittit nos Paulus ad potentiam Christi, qua potest sibi omnia subijcere: Si enim potuit ex nihilo omnia condere, cur non ad iussum ipsius redirent corpora, & starent coram ipso perfecta? Huius resurrectionis cogitatio meritò nos mouere deberet, ne nostra corpora ulla turpitudine contaminaremus, quæ olim si à capite nostra ipsorum culpa non fuerint abscissa, tanta gloria in cœlo donabuntur, ut sint conformia glorioso Christi corpori, quæ sanè gloria nulla lingua satis explicari potest.

Deinde ex hoc loco diſcamus, in negocio ſalutis noſtram rationem ligare & captiuare, ne ſe intempeſtiuè ingerat aduerſus Deum & Chriſti potentiam, qua poteſt omnia quæ uult, Vult autem omnia quæ decreuit, & uerbo ſuo promiſit. Articuli enim fidei noſtræ rationis acumine nequaquam cerni poſſunt, Quare hic ſolo fidei lumine contenti eſſe debemus.

Quapropter fratres mei dilecti & exoptati, gaudium & corona mea, ſic ſtate in Domino dilecti.

Concluſio eſt generalis, cuius hic ſenſus eſt. Cùm igitur ita ſe res habeat, quòd uana ſit omnis carnis fiducia, quòd ſola fidei iuſticia accepta ſit Deo, qua cognoſcitur Chriſtus & potentia reſurrectionis, & communio afflictionum eius, in quibus tanquam in ſtadio, donec in hac uita ſumus, & ad metam ueniamus, uerſari decet, hortor uos, ut relictis ſanæ doctrinæ corruptoribus, ſtetis in Domino, à quo ſolo ſalus expectanda eſt. Stare .n. in Domino, eſt permanere & perſeuerare conſtanter ſine titubatione & claudicatione, In uia Domini, hoc eſt, in puritate doctrinæ & morum innocentia, quam doctrina requirit.

Quòd autem eos appellet Apoſtolus, Fratres

tres dilectos, desideratos, gaudium & coronam suam, *ad affectum ipsius declarandum erga* Philippenses *pertinet.* Significat enim se uehementer gaudere ex eorum in pietate profectu. Cum Coronæ *meminit, respicit* ad eos, quibus in stadio currentibus brabium est positum. Talis utiq; affectus sincerorum ministrorum uerbi erga suos auditores esse debet, ut de illorum profectu in Domino ueluti triumphent.

CAPVT QVARTVM.

SVMMA CAPITIS QVARTI.

VT priuatos quosdam ad concordiam & ad opem sibi inuicem ferendam hortatur Apostolus: Ita omnes monet, ut in Domino gaudeant, & abiectis curis mundanis ad preces confugiant, seque tanquam exemplar imitentur, Deinde libe-

ralitatem eorum erga se acceptans, optat ut Deus ipsis officium rependat.

ORDO ET PARTES CAPITIS QVARTI.

QVemadmodum in epilogis fieri solet, plura hic ab Apostolo congeruntur, ac Primùm quædam quæ priuatas personas concernunt, attingit. Deinde omnes compellat, ac eos, gaudere in Domino, iussos ad modestiam & preces, deposita prophana cura, utq; se omnis uirtutis exemplar imitentur, hortatur. Ad hæc liberalitatem Philippensium erga se laudat, cum significatione remunerationis ab ipso Domino expectandæ. Postremò suo more claudit Epistolam salutationibus & fausta imprecatione.

EXEGESIS QVARTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

SEXTA PARS.

Euodiam & Syntichen adhortor idem sentire in Domino.

MVlieres has insignes fuisse apparet, quas seorsim ad concordiam sanctam hortatur, et addit concordiæ uinculum, cum inquit, in Domino, omnis enim concordia extra Dominum facilimè rumpitur.

Obserua officium pij Pastoris esse, non solùm totius gregis curam habere, uerùmetiam singularum ouium salutem quærere. Non enim satisfacit officio qui publicè tantum docet, hortatur, comminatur, nisi priuatim quoq; commonefaciat singulos, ubi & quando hoc necessarium animaduerterit.

Et rogo te compar germane: (seu socie sincere) adiuua illas quæ in Euangelio mecum concertarunt, unà cum Clemente & cæteris operarijs meis.

Insignem aliquem commilitonem alloquitur, cum quo se idem iugem gestare, id est, idem onus sustinere in negocio Euangelij fatetur. Hunc hortatur, ut iuuet honestas illas Matronas, quò in concordiam reducantur. Huius rei causam subiungit, quòd concertarint cum ipso in Euangelio, illud defendendo & propagando.

Insignis hic locus est, qui docet non solùm ui-

rorum, uerùm etiam mulierum esse, concertare pro Euangelio defendendo & propagando.

Sunt qui ex hoc loco Paulum habuisse uxorem falsò colligũt, Ideoq; uertũt in fœminino, Compar germana, uerum ista opinio facilè refellitur. Primùm uerba ipsa Apostoli in masculino efferuntur, σύζυγε γνήσιε, At si obijcis, Atticismum esse, quo adiectiuum sub masculina terminatione utriusq; est generis masculini & fœmini. Respondeo, Paulum non Atticum esse, nec sæpe solere uti atticis figuris. Deinde 1. Corinth. 7. de seipso Paulus in hunc modum loquitur, Dico autem non nuptis & uiduis: Bonum est illis, si sic permanserint sicut ego. Hic apertè fatetur Apostolus se uxorem non habuisse. Præterea circumstantiæ temporis, profectionis, labores, carceres, flagella & undiq; circumstantia uitæ pericula, satis conuincunt Apostolum postea non duxisse uxorem. Vnusquisq; enim facilè uidet, quòd minimè aptum fuerit nuptijs totum istud prædicationis Pauli tempus.

Quorum nomina in libro uitæ sunt.

Liber uitæ catalogus est electorum, in quo omnes sunt qui credunt, & usq; ad finem perseuerant.

rant. Seu liber uitæ est propositum Dei & æternum consilium in pectore Dei definitum, quo ut omnes homines credentes in hoc libro inscripti, ita iniusti de eodem deleti esse perhibentur. Hæc loquendi ratio ab humana consuetudine desumta est, qua significatur certitudo salutis eorum qui in Christum crediderint.

Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.

Generalis exhortatio est, ad omnes Christianos promiscuè pertinens, qua hortatur ad gaudium spirituale in Domino. Opponit autem Apostolus gaudium in Domino, cùm fiduciæ carnis, tùm gloriationi Pseudoapostolorum. Quid autem sit in Domino gaudere patet ex superioribus, uidelicet, quod sit in eo omnem salutis fiduciam collocare, ex eo solo pendere. Huius gaudij materia & diuina sapientia, iusticia, sanctificatio & redemtio, quæ in solo Domino nostro Iesu Christo inueniuntur, iuxta illud: Iesus Christus est factus nobis à Deo sapientia, iusticia, sanctificatio, & redemtio. Quare non immerito Apostolus iubet, ut pij in Domino gaudeant. Iteratio facit ad exhortationis uehementiam.

Quid? An non Christus dicit, Beati qui lugent: Luctus & gaudium in Christianis simul

ſunt, ſed non habent eoſdem fontes. Luctus enim ex ſenſu iudicij Dei. Gaudium ex communicata miſericordia promanat, atq; ideo non ſimpliciter dicit, gaudete, ſed cum addito, in Domino, Qui enim in Domino per fidem manet, etiamſi caro eius premitur uarijs ærumnis, ut mortificetur corpus peccati, unde non exiguus luctus in pijs naſcitur: tamen gaudium Spiritus facit, ut quæuis incommoda æquiori feramus animo. Deinde cum Dominus beatos pronunciat lugentes, hoc ipſum animi gaudium commendat. Ita enim addit in eadem concione: Exultate & gaudete, Quoniam merces ueſtra copioſa eſt in cœlis. Pſalmus ſecundus ad eundem modum coniungit timorem & leticiam, cum inquit, Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. quod eleganter expreßit Apollinarius, δείδιτε, δουλοσύνης δ' κεράσσατε χάρμασι δεῖμα. Vult enim Dauid timorem miſceri gaudio, ut enim timor opponendus eſt ſecuritati contemnentium iudicium Dei, ita fides conſolationem & gaudium pariens, uictrix erit deſperationis & dubitationis.

Modeſtia ueſtra nota ſit omnibus hominibus.

Alia exhortatio, nempe ad modeſtiam: quam ideo cupit notam omnibus eſſe, ut exemplo ipſo-

rum

rum alij ad modestiam & moderationem inuitentur. Est autem, τὸ ἐπιεικὲς uirtus, qua τὸ εἰκὸς, hoc est, modum & quod decet in omnibus rebus seruat, cum uidelicet quispiam adeò benignis moribus sit præditus, ut omnes facilè sibi conciliet morum probitate ac patientia iniuriæ.

Dominus propẽ.

Ratio proximè præcedentium exhortationum à præsentia seu prouidentia Dei sumta, ac si diceret: ueram cùm gaudij tùm moderationis materiam habetis, nempe præsentiam Domini, qui curam gerit pro suis, estq; paratus semper ad opem ferẽdam laborantibus et inuocantibus. Iuxta illud, Inuoca me in die tribulationis, Et, Tecum sum in tribulatione: Debet igitur summa consolatio piorum sub cruce esse, quod habeant Dominum præsentem, qui non destituit suos, sed uel in media morte gaudio spirituali erigit, ut non dubitent insultare Diabolo & omnibus eius membris. Sciunt enim crucem ueluti aditum quendam esse ad gloriam, iuxta illud Pauli: Si cum illo patiemur, simul cum illo glorificabimur, Roman. 8.

Nihil solliciti sitis.

Alia exhortatio est, ad deponendam uanam & impiam sollicitudinem. Vt autem intelligi poßit quænam sollicitudo prohibeatur, notandum est triplicem sollicitudinem esse. Quædam enim necessaria est, ut quæ uerbo Domini prohibetur. Quædam ex utroq; genere mixta est.

Necessaria sollicitudo est pars officij Christiani hominis, quæ nobis & mandato Dei, & multis illustribus exemplis commedantur. Paulus ad Roman.12.ait, Qui præest, in sollicitudine scilicet præsit. 1.Timoth.5. Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Micheas dicit, Hoc requiri à Domino, ut sollitè ambulemus coram ipso.

Hanc sanctam curam plurima nobis exempla in scriptura commendant, ut sanctorum Regum, Patriarcharum, Patrumfamilias, Prophetarum & aliorum. Paulus 2.Corinth. 11. Item, Colloss.2. 1.Theß. 2. suam pro Ecclesia sollicitudinem testatur. Sic Dauid in multis Psalmis.

Breuiter, Vera pietas consistere nequit, nisi hæc sancta cura adsit, cùm in communi piorum omnium, tùm in singularum personarum uocatione. Pius proinde Rex pro suo regno, Pius pa-

terfa-

terfamilias pro sua domo. Pius Euangelij Minister pro suis auditoribus, & quilibet hominum pro seipso sanctam sollicitudinem habere debet.

Vt autem clarius intelligi poßit qualisnam hæc sancta cura esse debeat, quatuor in ea considerandа sunt. Mandatum, Fides, Finis & Modus.

Mandatum Dei est, quo præcipitur hæc sancta cura, de quo nonnulla supra dicta sunt. Hoc mandatum Dei iubet, ut Deum, proximum & teipsum intueare. Vuult enim Deus ut coram se sollicitè ambules, uult ut proximi curam sollicitè geras, uult ut tuæ salutis & uocationis rationem diligentem habeas.

Fides propterea requiritur, quia nihil quicquam sine fide rectè fieri aut placere potest. Deinde fides est ueluti regula huius sanctæ curæ, nam nisi ad hanc regulam moderemur curam nostram, sancta esse non potest.

Finis principalis debet esse gloria Dei, cui alij plures subordinati sunt, status cuiusq; incolumitas, conseruatio Oeconomiarum & Politiarum, Ecclesiæ ædificatio. Hi omnes fines gloriæ Dei destinentur.

Modus sanctæ curæ hic esse debet, Vt pius in omnibus actionibus se uoluntati Dei subijciat, à

quo non ſolum ſucceſſus petendus eſt: uerumetiam ſi parum labor noſter uotis reſponderit, ipſius tamen beneplacito nos ſubmittamus.

Quòd autem Deus non ſemper ſinat, ut uotis noſtris omnia reſpondeant, (ſæpè enim fruſtra uidemur uel ſummam curam adhibere, ſæpè preces noſtræ uidentur contemni) in cauſa eſt dilectio Dei erga nos, Ea enim eſt noſtra imbecillitas, ut in rebus proſperis facilè uincamur à uana gloria, partem ſaltem noſtræ proſperitatis nobisipſis aſſcribentes, ſicut ſcribitur de Ioſia, qui cum roboratus eſſet, cor ipſius in interitum eleuatum eſt. Ezechias in afflictione iuſtus perſeuerauit, in proſperitate à uana gloria uictus eſt. Epiſcopi Romani in paupertate & perſecutione ſanctiſsimi fuere, At ſucceſſores in diuitijs, ſplendore, ac proſpero rerum ſucceſſu obliti ſunt Dei, & ex paſtoribus uerſi ſunt in lupos. Eccleſia ſub Tyrannis ſancta erat, Poſtea ex fauore Imperatorum facta eſt remiſsior. Quare ſingulari arte opus eſt, ne rerum proſperitate abutamur in noſtri perniciem, atq; ob eam cauſam Deus paterno conſilio & ſingulari dilectione facit, ut nos interdum aſperioribus flagellis refrenet, ne ferociores facti, iugum obedientiæ abijciamus. Huc pertinent elegantiſsimi Poëtæ uerſus.

Nescia mens hominum fati sortisq; futuræ,
Et seruare modum rebus sublata secundis.

Mala & prophana sollicitudo quæ & Ethnica dicitur, & Matth. 13. suffocans, sollicitudo, (inquit) seculi huius & seductio diuitiarum suffocat sermonem, ut non ferat fructum, nascitur ex diffidentia & ignorantia prouidentiæ diuinæ, & prohibetur paßim in scriptura, ut Matth. 6. Nolite solliciti esse in crastinum. 1. Petri 5. Omnem curam proijcientes in illum. Hæc cura prophana in caussa, in fine, in modo errat. In caussa, quia oritur ex diffidentia. In fine, quia præsentis uitæ securitatem tantum & tranquillitatem spectat, & alia quæ carni sunt grata. In modo, dum iustum modum transgreditur, mundana cœlestibus, peritura æternis, saluti animæ tranquillitatem corporis præponens. Non enim se subijcit uoluntati Dei, sed potius fremit aduersus Deum, irascitur Deo, quando omnia ex uoto non succedunt. Non igitur immerito toties uerbo Dei damnatur.

Mixta sollicitudo est, qua curamus quidem quæ officij nostri sunt, sed modum non seruamus. Sæpe enim propter innatam in nobis intemperantiam in officium Dei sacrilegè irrumpimus, ut cum paterfamilias rectè quidem secundum mandatum

datum Dei instituit familiam, liberos curat, quærit uictum &c. sed non rectè laborem & curam partitur, labor quidem cum sancta cura in uocatione requitur, sed euentus Deo commendandus est, cauendumq; ne trepidatio aut nimia anxietas ad impatientiam & prophanitatem impellat, quod quomodo uitari poßit, mox docet Paulus cum nos ad precationem seriam remittit, polliceaturq; pacem Dei inuocantibus.

Huius proinde loci scopus est, ut abiecta omni uana sollicitudine, pax nobis internè constet, & erga homines modestiores seu mansuetiores reddamur.

Sed in omni re per precationem & obsecrationem, cum gratiarum actione, petitiones uestræ innotescant apud Deum.

Optimum remedium aduersus sollicitudinis tentationem præscribit, nimirum ut in omni re, id est, in omni negotio, omni sollicitudinis tentatione ad Deum nostris petitionibus confugiamus, petendo bona, deprecando mala, gratias agendo pro collatis bonis, ut ita nostræ postulationes, id est, desideria ac uota innotescant Deo. Sic enim

Deo placet cordium ſcrutatori, ut noſtra uota ipſi oratione proponamus.

Obſeruemus itaq; ſalutare aſylum eſſe in omni neceſsitate in ſolum Deum per fidem & inuocationem recumbere.

Et pax Dei exuperans omnem mentem, cuſtodiet corda ueſta, & cogitationes noſtras in Chriſto Ieſu.

Orationis exprimitur effectus, qui eſt conſeruatio cordium, id eſt, affectuum, uoluntatum & cogitationum, (id eſt, intelligentiæ) per pacem Dei exuperantem omnem mentem.

Eſt autem pax hæc quæ aliâs εὐδοκία Dei dicitur, qua uidelicet Deus Pater complectitur credentes in dilecto, & conſeruat illorum affectus & intelligentiam, ne à ſe deficiant, ſed in Chriſto per ueram fidem permaneant. Hunc locum diligenter obſeruet, cuicunq; pietas ſalusq; curæ eſt. Inſidiæ Diaboli magnæ ſunt, At tu preces opponito, & eris tutus. Mundus te premit, at tu precibus onus excute. Variæ & multiplices in Oeconomia, in Politia & Eccleſiaſtica gubernatione offeruntur offenſiones & difficultates, At tu ad Deum precibus tanquam ad tutiſsimum aſylum confugito, & eris tutus, uel aduer-

sus inferorum portas. Huc illud Salomonis, *Turris fortißima nomen Domini, ad hanc confugiet iustus & saluabitur.*

Quod reliquum est fratres, quæcunque sunt uera, quæcunque honesta, quæcunque iusta, quæcunque pura, quæcunque amicabilia, quæcunque boni nominis, si qua uirtus si qua laus, hæc cogitate.

Congeriem communium officiorum facit. Constructio autem hæc est. Quod reliquum est fratres, cogitate ea quæcunq; sunt uera, quæcunq; honesta &c. Requirit hic Apostolus duo in Christianis, uidelicet cogitationem & opus, hoc enim ab illa proficiscitur. In enumeratione operum, Primo loco requirit ueritatem, quæ aduersatur omni hypocrisi & mendacio. Deinde honestatem, id est, sanctam quandam grauitatem morum, nimirum ut morum integritas consentiat cum doctrina & confeßione. Tertio, iusticiam, quæ moderatur contractus, monetq;, ut alijs reddamus quæcunq; illis uel naturali uel ciuili obligatione debemus. Quarto, puritatem, hoc est, castitatem animi ac sinceritatem. Quinto, amicabilitatem, qua pij student ijs rebus, quæ ad amiciciam faciunt,

unt, quantum quidem per pietatem liceat. Sexto requirit bonum nomen, uidelicet, ut pij sint studiosi integræ famæ. Septimo & octauo genera ponit loco specierum, quas non omnes recensuit, nimirum ut pij uirtuti ac rebus laude dignis studeant.

Quæ & didicistis, & accepistis, & audiuistis, & uidistis in me, hæc inquam facite.

Hæc uerborum Synonymia ad studium excitandum in Philippensibus facit. Obseruetur quod Paulus suos discipulos reuocet ad doctrinam & uitam suam, significans se quod uoce docuit, uita & moribus expreßisse, debet enim Pastoris uita doctrinæ speculum esse.

Et Deus pacis erit uobiscum.

Fructus innocentiæ & pietatis additur, nempe præsentia Dei, qui nobis pacem & omnia prospera largitur. Et pertinet hæc adiectio ad locum facilitatis. Si enim Deus adest opitulator, nihil erit adeò difficile, quin per ipsum fiat facile.

SEPTIMA PARS.

Cæterum gauisus sum in Domino ualde, quod iam tandem reuiruistis in uestra pro me cura.

Hæc pars approbatio est liberalitatis Philippensium erga se, qui per Epaphroditum miserant subsidia necessaria. Ac primum quidem significat se gaudio affectum esse, non tam ipso munere, quam Philippensium erga se studio, & simul excusat eos quod antea id non fecerant. Deinde se contentum esse præsentibus ostendit. Tum approbato illorum facto, collatione extollit officium Philippensium, ut qui soli sæpius suam erga se liberalitatem declararent, & ut uitet suspicionem, dicit se non tam donum quam fructum requirere. Mox subiungit, quod plurimum misso dono sit recreatus, ac tandem promißione et uoto hanc partem claudit.

Propositio huius partis est hæc, Gaudeo uos Philippenses animum erga me declarasse uestrum, misso per Epaphroditum dono. Quod autem eos dicit reuiruisse seu refloruisse, tacitam habet reprehensionem sed fraternam. Significat enim eos aliquanto tempore se neglexisse, ac quodammodo sui oblitos fuisse. Metaphora admodum uenusta est, sumta ab arboribus, quæ hieme quidem arescere uidentur, sed uerno rursus tempore uigorem seu uirorem recipiunt ad fructum edendum. Pius igitur qui suum nomen tueri uult, debet esse instar arboris frugiferæ, quæ fructus suos producit tempore oportuno.

De quo tamen ſolliciti eratis, ſed deſtituebamini oportunitate.

Prolepſis eſt. Nam ex dictis poterant Philippenſes ſuſpicari, Paulum obliquè ſe taxare, quòd ſerius miſiſſent ſubſidia, Sed Paulus tranſlatione utitur, & tempori imputat dilationem.

Non ſecundum penuriam loquor.

Alia eſt prolepſis, qua anteuertit ſuſpicionem Philippenſium, ne uidelicet ſuſpicarentur Apoſtolum fuiſſe deiecto animo priuſquam hoc donum ab illis accepiſſet. Hoc eò tendit, ut Domino ſubijciamur cùm in copia tùm in inopia.

Ego enim didici, in quibus ſum, contentus eſſe.

Ratio anticipationis ab animi fortitudine, & eſt ſenſus: Didici præſentibus contentus eſſe. Exemplum ſanè omnibus pijs miniſtris Euangelij, atque adeò omnibus Chriſtianis imitandum.

Noui & humilis eſſe & abundare.

Confirmatio eſt per diſtinctionem. Is autem nouit humilis eſſe, qui paupertate, contemtu, ærumnis preſſus non frangitur animo, ſed ſubmittit ſe uoluntati Dei, & conſtanter perfert aduerſæ fortunæ ſæuitiam. Contra nouit abundare, qui in felici rerum ſucceſſu minimè ſuperbit, ſed

in timore Dei cum gratiarum actione præsentibus bonis utitur, Longe maxima ars hæc est, quotusquisq; non aduersis frangitur? Quis non effertur animo, cum omnia sibi ex sententia eueniunt: unde hæc scientia Apostolo? Duo sunt huius scientiæ principia, uidelicet uiua fides, & uerus timor Dei. Fides enim facit, ne in aduersis succumbamus. Timor Dei nos reprimit, ne in prosperis efferamur, utrumq; principium inuocatione Dei fulcitur & conseruatur.

Vbiq; & in omnibus institutus sum & saturari & esurire, & abundare & penuriam pati.

Eandem sententiam repetit, sed magis eam specificat. Is sciat se multum in schola Christi promouisse, qui hoc Pauli exemplum uerè imitari potest, ad quod non tam doctrina quam pietatis exercitijs opus est.

Sciamus proinde eò contendendum esse, ut nos qui sacris Christi initiati sumus, fortiter feramus cùm blandum fortunæ aspectum, ne uidelicet efferamur, tùm tristem eiusdem uultum, ne deijciamur. Hoc sanè si facerent pleriq; ministri Euangelij, melius caueretur, ne inexplebiles à uulgo iudicarentur. Quare pijs ministris danda est opera,

opera, ut Pauli exemplum, quantum fieri potest, imitari studeant, ne maliciosi homines habeant occasionem calumniandi doctrinam Euangelij, propter ministrorum auaritiam.

Omnia possum in Christo qui me confortat.

Anticipatio est, qua occurrit ijs, qui arrogantiæ Pauli tribuere potuissent, quod glorietur adeo de sua fortitudine, qua poßit & in rebus aduersis & in rebus prosperis animum seruare infractum, dicit ergo non esse carnis & suæ fortitudinis proprium opus, quod poßit æquo animo & infracto rebis aduersiis & prosperis uti: Sed Christi donum esse, qui se confortat. Rogandus igitur est idem Christus, ut nos quoq; suo confortet spiritu, quo ualeamus ea præstare ex gratia, quæ per naturam non possumus.

Cœterum bene fecistis communicando necessitati meæ.

Rursus anticipat, ne uideretur contemsisse donum à Philippensibus missum, & simul collaudat ipsorum factum, Obserua quod Apostolus liberalitatē erga ministros uerbi definiat esse opus bonum, ex quo sequitur, eos malè facere, qui nihil conferunt ad conseruandum ministerium.

Scitis autem & uos Philippenses, quod initio Euangelij, cum proficiscerer è Macedonia, quod nulla Ecclesia mihi communicauerit, in ratione dati & accepti, nisi uos soli.

Simpliciter hactenus commendauit Philippensium *erga se liberalitatem*, Nunc *idem agit per comparationem exaggerandi officij gratia*, *Alij quibus non minus, quàm uobis prædicaui* Euangelium *nihil contulerunt* (En *ingratitudinem*) *uos soli* Philippenses *sæpius meam neceßitatem uestris bonis subleuastis. Cùm autem addit*, in ratione dati & accepti, *alludit ad rationes pecuniarias, ubi dati seu expensi & accepti habentur tabulæ seu codicilli.* Vult *igitur* Apostolus *proportionem quandam esse, ut qui dedit, tantum recipiat*, Qui *igitur ministris uictualia largiuntur, recipere eos spiritualia iustum est.* Et *qui uerbum prædicant, dignum est ut iustum consequantur stipendium.* Sed *ut ante monui, ante omnia fugienda est auaritiæ suspicio, quæ plurimum* Euangelio *Christi nocet, eiusq; cursum impedit.*

Testimonia *de stipendijs ministrorum* Euangelij *plurima in scripturis extant, ex quibus pauca quædam referam.* Matth. 10. 1. *Timoth.* 5. Dignus *est operarius mercede sua.* Non *alligabis*

os boui

os boui trituranti. 1. Corinth. 9. Si nos uobis ſpiritualia ſeminauerimus. Num magnum eſt, ſi nos ueſtra carnalia meſſuerimus? Ad Galatas 6. Qui catechiſatur, cum eo qui ſe catechiſat communicet in omnibus bonis. Et Paulus rurſus: Qui benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni ſunt, hoc eſt, uictu & reuerentia.

Nam cum eſſem in Theſſalonica, ſemel & iterum quod opus erat mihi, miſiſtis.

Exponit clarius quod dixerat, addita circumſtantia temporis, ſi contuliſſent Philippenſes Paulo neceſſaria dum Philippis apud ſe ageret, laudanda fuiſſet ipſorum liberalitas. Quid iam dicendum cum liberales ſunt in abſentem & laborantem alijs?

Non quòd requiram munus, ſed requiro fructum abundantem in rationem ueſtram.

Valde oportuna anticipatio eſt, qua anteuertit obiectionem illorum, qui Paulum quæ ſua ſunt quærere, ſiniſtrè opinabantur, & qui ægrè fortaßis ferebant tantum de publico deſumi. Nam ſemper inter bonos multi ſunt admixti mali. Et ſimul oſtendit, non perire quod datur pijs mini-

ſtris, ſed in rationem dati referri, unde expectare poſſunt, ut non pœnitendum fructum recipiant. Vtinam hoc affectu præditi ſint omnes, ita haud dubiè fieret, ut & ipſi miniſtri Euangelij minus conquererentur, & fructus laboris ad ipſos rediret uberior.

Accepi autem omnia & abundo, expletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quæ à uobis miſſa fuerunt.

Laudat rurſus Philippenſes ob liberalitatem ipſorum erga ſe. Et ſimul ſibi gratum fuiſſe quod miſerant, oſtendit, adeò ut nihil ſibi ad ſubſidia externa deeſſe fateatur, ac ſimul fidelitatem Epaphroditi ipſis commendat.

In odorem bonæ frangrantiæ hoſtiam acceptam, gratamq; Deo.

Hæc longè maxima eſt commendatio doni miſſi à Philippenſibus, quod ipſum appellet Apoſtolus, odorem bonæ frangrantiæ, hoc eſt, ut ipſe interpretatur hoſtiam acceptam & gratam Deo. Placet igitur in primis Deo liberalitas piorum erga ſcholas, doctores, diſcentes & miniſtros uerbi omnes. Vnde merito ingratitudo eorum deteſtanda eſt, qui nihil peius collocatum arbitrantur, quàm quod ad miniſterium Euangelij conſeruandum datur. Obſeruanda eſt hoc loco

anthropopathia. Deus enim se huiusmodi locutionibus ad rudis populi captum accommodat, ut enim homini bonus odor est gratus & fœtor displicet, ita obedientia quæuis ex fide præstita dicitur hostia accepta & odor suauitatis Deo, contra uero quicquid non est ex fide, fœtor est & displicet Deo, est igitur hæc figura metalepsis.

Deus meus implebit omnem necessitatem uestram, iuxta diuitias suas in gloriam Christo.

Promißionem apponit de remuneratione liberalitatis Philippensium erga se aliosq; ministros Euangelij. Hæc promißio firmißimo fundamento nititur. Nam Dominus apud Matthæum capite 10. sic inquit. Quicunq; dederit uni ex minimis his poculum aquæ frigidæ, solum in nomine discipuli, Amen dico uobis, nequaquam perdet mercedem suam. Cum dicit Apostolus, Deus meus, duo uidetur uelle. Primum, quod soli illi de Deo uerè gloriari poßint, qui in ipsum credunt, et iuxta ipsius uoluntatē uiuunt. Nec potest ullus esse tutior portus in procellis persecutionum, quam Deum firma fiducia suum statuere, ac in ipso solo gloriari, unde Paulus in carcere summam consolationis materiam sumsisse uidetur. Alterum quòd, cum se seruum Dei facit, admo-

neat Philippenses, quod quicquid in sese contulerunt, id in Deum conferri, cuius legatione fungitur. Implendi uerbum significat liberalitatem Dei, qua ipse abundè compensabit quicquid suis legatis fecerimis, idq; iuxta diuitias suas, id est, iuxta inexhaustam bonitatem, qua liberalis est in omnes suos. In gloria, id est, magnificè & gloriosè, Et ut agnoscamus fontem liberalitatis Dei erga nos, addit, In Christo Iesu, hoc ideo adiectũ est, ne quis suis meritis liberalitatem Dei erga se niti existimet. Nam solus Christus, ut reconciliator nostri cum Deo est: Ita omnium bonorum quæ à benigno Patre percepimus, fons & autor existit. Cum enim in se nostra opera sint indigna, quæ in conspectum Dei prodeant, per hunc solum fiunt accepta hostia, in quo Pater nos charos habet, adeò ut propter eundem, nostram qualemcunque obedientiam paterno complectatur fauore.

Deo autem & Patri nostro gloria in secula seculorum, Amen.

Hisce uerbis claudit totam Epistolam, unde colligendum quo omnia referenda sint, nimirum ad gloriam Dei Patris nostri per Iesum Christum. Hoc Apostolicum exemplum & nos imitemur, ac Deo cùm in aduersis tùm in prosperis agamus gratias, agnoscamusq; Christum fontem esse omnis liberalitatis Dei erga nos.

Salutate omnem ſanctum in Chri-ſto Ieſu.

Epiſtolaris terminus ſeu finis eſt, Solemus enim in finibus literarum notos ac beneuolos ſa-lutare. Nec hæc ſalutandi conſuetudo inutilis iu-dicanda eſt, quæ præterquam quod affectum ſcri-bentis erga abſentes amicos declarat, amicitiam prius conciliatam auget, fouetq;. Præterea eti-am uicem piæ precationis obtinet, quæ nequa-quam irrita & inefficax iudicanda eſt. Quis ſan-ctus dicatur, ſæpius ſupra dictum eſt, uidelicet qui fide purificatus, ac Deo dedicatus in ſancti-monia fide uiuit, Vnde admonemur, ſi modo hunc titulum ritè tueri uelimus, ut perpetuæ ſanctitati ac innocentiæ ſtudeamus.

Salutant uos, qui mecum ſunt, fra-tres.

Cōmilitones ſuos intelligit, qui pro defenſione Euangelij ſecum laborauerunt, hos Fratres *uocat duplici nomine, Cùm quia in Chriſto ſaluatore communem* Patrem *Deum habent credentes, tùm propter affectum quem inter ſe fraternum foue-bant, qui Chriſtianum titulum uſurparunt.*

Salutant uos omnes ſancti, maxi-mè uero qui ſunt ex Cæſaris domo.

Quod inuenti ſint Chriſtiani & ſancti in neſan-

nefandißimi & turpißimi tyranni Neronis familia imprimis admirandum eſt. Solent enim ut plurimum tyrannorum miniſtri ſuorum Dominorum mores imitari. Deinde & hoc obſeruandum, quod in aulis Principum etiam ſit locus pietati. Neq; enim illud uitæ genus per ſe cum pietate pugnat, unde ſequitur hyperbolicè dictum quod uulgo fertur,

Nulla fides, pietaſq; uiris qui caſtra ſequuntur.

Nam ſi in Neronis familia fuerunt ſancti uiri, quod hic Paulus teſtatur, cur non multò magis in piorum regum & ſanctorum Principum aulis inueniuntur?

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cum uobis omnibus, Amen.

Vſitata eſt Paulo hæc imprecatio in omnibus ſuis Epiſtolis. Gratiæ nomine intelligit & cauſam & effectum. Cauſam quidem fauorem Dei, quo Deus nos complectitur in Filio. Effectum uero, quicquid ſalutare & proſperum eſt, & præcipuè quod facit ad ſalutem æternam, partam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Hoc Pauli exemplum & nos imitemur, precemurq; omnibus fauſta, & præcipuè domeſticis fidei.

FINIS.

WITEBERGÆ

EXCVDEBAT IOANNES CRATO.

ANNO M. D. LXIIII.